











Scarce

25/

John Brunton M.D.
1896.

GARCIÆ LOPII LVSITANI, PORTALEGRENSIS MEDICI, COMMENTARII DE VARIA REI MEDICAE LEctione, Medicinæ studiosis non parum vtiles.

Quorum Catalogum ab Epistola, sequens pagella indicabit.



ANTVERPIAE,
Apud Viduam Martini Nutij,
AN. M. D. LXIIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

Sententia Priuilegij.

INuictissimi Regis nostri Philippi priuilegio cautum est, ne quis alius præter Viduam Martini Nutij, imprimat per sexennium *Garciæ Lopij Lusitani Portalegrensis Medici Commentarios, De varia rei Medicæ lectione*, visos & approbatos per venerabilem virũ D. Magistrum Philippum Almaraz, Ecclesiæ collegiatæ D. Mariæ virginis, Antuerpiensis Canonicũ ad librorũ visitationem deputatum. Qui secus fecerit, pœna mulctabitur, quæ expressa est in literis Bruxellæ datis 8. Februar. 1563. Stilo Brabantiæ. Subsignatis à

De Perre.

GENEROSISSIMO VIRO, NOBILITATE GENERIS, ET virtute præſtantiſs. Domin. D. Ioann. Maſcarennæ, Garcias Lopius medicus Portalegrenſis S. P. D.

CVM è patria diſceſsiſſem, vir nobiliſsimè, nihil profectò me magis triſtitiâ afficere ſolebat, quàm nobilium aliquot recordatio, quæ ita meum diſtorquebat animum, vt omnium quæ ibi reliqueram, quæ vnicuique exuli chariſsima, & optatiſsima eſſe ſolent, minus ipſe meminerim quàm illorum, quos vnicè amabam, & me ab illis amari ſciebam, è quo numero (vt ex animo loquar) quantò plus tibi debeo, quod me ſemper tua, qua præditus es humanitate, fauore etiam amplexus es, eò ſæpiùs occurris optandus, & quòd te careo, cuius aſpectu mihi dulciſsi-

mo, aura veluti vitali ipse recreabar, & (si credere est) viuebam, non sine gemitu & lacrymis quotidie nominandus, quod cùm animo euoluo, vix credas quàm molestus mihi ad vitam, hic locus sit, quo licet ita viuam, vt nihil mihi desit eorum quæ viro studioso & paucis contento opus sunt: afficior tamen dolore maximo, cùm ante oculos pono, quanto semper gaudio animíque lætitia apud te susceptus sum: quo cùm carerem hîc, nullumque similem tui patronum haberem, (quod nec mirum fuit, cùm raró tibi similis inueniatur) ob id magis, ac magis, vicem meam dolebam. Verùm, vt hunc dolorem meum lenirem, & aliqua ex parte hāc ex animo depellerem tristitiam, nullam aliam ad hanc rem meliorem occasionem reperi, quàm si te toto pectore, & visceribus, continuò euoluerem, & tua in me collata beneficia animo perpenderem, vt quòd opere ipso facere non poteram, aliquo gratitudinis signo,
animi

animi mei erga te integritatem oſtenderem. Volui itaque tibi clariſſime Maſcarenna, ſummam beneuolẽtiam, paremq́ue obſeruantiã quam poſſum præſtare, quòd perſuaſum mihi habeã, quodcunque, quód à me proficiſcatur, te boni æquiq́ue conſulturum, vel ſtudium meum, operam, & diligentiam non ingratam futuram.

Quare Cõmentariolos meos, quos de varia rei medicæ lectione in vſum hominũ euulgaueram, tibi vouere ac dicare volui, vt illos à communi flagrantis inuidiæ flamma conſeruares, & tui fauoris aura non vereantur rabiem illorum hominum, quorum ingenia promptiora ſunt hoc tempore ad calumniandum, quàm laudandum aliorum labores, qui ſuis ſtudijs in literis præclaros progreſſus fecerunt. Te tamen Mecœnate meo, ac patrono, bonã ſpẽ habeo de eorum iudicio in mea ſcripta, qui cùm nouerint, me tibi notum eſſe, ſpero illos beneuolè, & amanter ea ſuſceptu-

 ros.

ros. Tantũ enim poterit tua apud omnes summa authoritas, singularisq́; præstantia, vt multorum comprimat maledicendi voluptatem: & aliorum etiam qui syncerè, & amicè vigilias hominũ perpendunt, mentemq́; illorum candide interpretãtur, amorem, & animi propensionem erga studiosos, bonosq́; viros adaugeat. Accipe igitur libellum nostrum Ioannes nobilissime, tuo illustrissimo nomini dicatum, quem si, vt credimus, vultu alacri hilarique acceperis, nos ad alia multo maiora in tui gratiam excitabis. Vale ó meũ Præsidium & dulce decus meum. Antuerpiæ Kal. Aprilis M. D. LXIIII.

Index Capitum quæ in hoc opere continentur.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CAP. XIIII.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

CAP. XVIII.

CAP XIX.

CAP. XX.

CAP. XXI.

CAP. XXII.

AVCTORES, QVORVM IN HISCE COMMENTARIIS FIT MENTIO.

Abenzoar.
Aelianus.
Aëtius.
Alexander Aphrodisæus.
Alexander Trallianus.
Aloysius Mundella.
Alphonsus Ferrus.
Amatus Lusitanus.
Andreas Lacuna.
Andreas Vesalius.
Antonius Musa Brasauolus.
Anutius Foësius.
Aristoteles.
Auerrois.
Auicennas.
Azarauius.

Bernardus Dessennius.

Cælius Rhodiginius.
Christophorus de Vega.
Cicero.
Columella.

Cor-

Cornelius Celſus.

Dioſcorides.
Donatus ab Altomari.

Euonimi Theſaurus.

Franciſcus Valleriola.

Galenus.
Gabriel Falloppius.
Gentilis Fulginas.
Guilielmus Puteanus.

Hadrianus Iunius.
Hippocrates.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Fracaſtorius.
Hieronymus Gabucinius.
Homerus.
Horatius.

Iacobus de Partibus.
Iacobus Siluius.
Ieremias Triuerius.
Ioannes Manardus.
Ioannes Matthæus de Gradibus.

Ioan.

Ioannes Mesuas,
Ioannes Paschalius,
Isaac.

Leonardus Fuchsius,
Laurentius Alderetius,
Leuinus Lemnius.

Monachus Trusianus,
Marcus Antonius Montesianus.

Nicolaus Alexandrinus,
Nicolus Florentinus.

Oribasius.

Paulus Aegineta,
Pamphilus Montius,
Pausanias,
Perottus,
Phauorinus,
Plato,
Plinius de Natur. Historia,
Plinius Valerianus,
Plutarchus.

Rabbi Moses.


Seba.

Sebaſtianus Auſtrius,
Soranus.

Theſſalus Hipp. filius,
Thucydides.

Vegetius.

In ſilentio, & ſpe.



De Podagra ad Michaëlem Montanum, vbi exponitur Hipp. sententia extra communẽ multorum opinionem CAP. I.



VAM coactè alijs studijs impeditus hoc fecerim, vel ob hoc etiam videri poterit, quòd is sim, qui mea scripta non semper tanti facio, vt in illis defendendis ita meum honorem aucupapari velim, vt aliorum iudicia hostiliter impugnem: verùm de me; meisq; rebus sic sentio, vt si quid commendatione aliqua dignum in illis videatur, id non mirificè extollendum esse iudico, quod fortaßis licet non nullis commendetur, multis qui melius iudicabunt vituperari poterit: quod nec temerè fiet, cùm si quid à natura nobis datum est, quo ingenium nostrum ita excolamus, vt in litterarum studijs aliquid laude dignum meditemur, ob nostram tamen antiquam labem contingit sæpenumero, vt ingenium, & mens nostra interdum decipiatur. Verùm cùm ita de me iudico, de alijs hoc nomine si calculum feram, non ignoranter agam: præsertim cùm honori potiùs studeo, quàm dedecori omnium in quos scribo: eò quòd si stulti sunt, aut mendaces, qui stultè, aut mendosè sapientißimorum auctorum scripta legunt, et interpretantur. Quid plus, quæso, honoris, & gloriæ illis accidere potest, si insaniunt, & mentiuntur, quàm si sapiãt, & vera loquantur? quò fit, vt, mi Iacobe, non molestus tibi esse debuerim, quòd nõ nulla reprobauerim, quæ in meditatione quadam tua inueni, quam Kal. Augusti Valerius D'Aguilar medicus nõ postremæ notæ ad nos misit: ad quem statim litteras

dedi, in quibus profecto, non parũ laudaui tuũ dicendi genus, & puritatem sermonis, quo non paucos, me iudice, nostræ ætatis viros longo interuallo antecedebas: verùm, illius rei de qua disserueras, promisi me (quando per ocium liceret) te admoniturum, quòd intelligeram quàm propensus sit tuus animus in illos, qui veritatis solùm amore, non quenquam calumniandi rabie, amicorum scripta corrigunt, quod me semper fecisse scias: quoniam si quando mihi in manus incidit scriptum alicuius docti viri, illud ita lego, vt si tantillum vitij habeat, cum meis scriptis cõfero, quæ, mirum esset, si omnino vitio carerent. Nec enim aliorum vitia ita perspicuè cerno, vt meorũ sine pudore obliuiscar, quod proprium, inquit Cicero, stultitiæ est. Verùm licet semper de alijs & me ita sentio, veritatis tamen amore inflammatus, si quæ video, quæ à magni Hipp. aut Gal. sententia aliena sunt, ea confodeo, incido, &, si fieri potest, extirpo, ne alumnos veræ medecinæ, (quæ non est alia, quàm quæ ab Hipp. & Gal. scribitur) ita suo fœtore corrumpant, vt multò peius sit illos illa deprauata secta imbutos esse, quàm si prorsus medicinæ præcepta ignorassent: eò quòd facilè ducerentur ad illa perdiscenda, falsa tamen hæresis, ita illos superbos, ac pertinaces reddit, vt vix trahi poßint ad veram doctrinam capessendam, quod indelibile vitium esse is rectè norit, qui paßim vidit quàm frustra, tot opera doctißimorum virorum nostro tempore scripta sunt, quibus verã artis medicæ rationem instituere, ac medicinam nebulonum quorundam consilijs, & impositionibus quibusdam tot sæculis labefactatam, in pristinam veritatis lucem restituere conantur: nec ob id tamen illis reddenda

laus

laus non est, quòd videlicet eorum opera ac labor, istis nebulonibus non probetur: eò quòd multi sunt etiam, qui ita magnifaciunt illorũ scripta, vt vix poßint agere tot gratias pro illis quas reddere cupiunt. Sunt enim non pauci boni, ac in optimis artibus instituti viri, qui singularum artium ita dogmata vera excolunt, vt illas ingeniorum pestes ignauos videlicet senes oderint, ac detestẽtur, qui, sicut qui vitæ mores corruptos habẽt, suis improbis præceptis, alios perditißimè corrumpũt, ita ij suis falsis decretis iuuentutem conturbant, peruertunt, ac ita sui iuris faciunt, vt iuuenes quidem minimè pudeat, meras nugas in quauis arte palàm profiteri: & (quod peius & miserius est) si stulti sunt omnes perpetuò insaniunt, & nemo est sanè qui horum perditißimorum genus, à seipsis, hoc est à literarum peruersitate euertere poßit. Sed dicet aliquis, quid tu, qui illorum rectè ita nosti mores, cur illis erudiendis neruos ac vires omneis ostendis? facilè si quis me roget, respondebo, non me ob id solum operam ac laborem meum consumpsisse, vt illis prosim, sed etiam vt animum, & ingenium, veræ medicinæ contemplatione, veluti dulcißimo quodam pabulo reficerem: noui enim nihil iucundius, nec suauius mihi contingere posse, quàm huius rei consideratio: ad quam si accedo ingenio sopito, ac quasi mortuo, vitam, crede mihi, inuenio iucũdißimam. Quid enim magis viuere est, quàm aliquid contemplari de his rebus, quæ animum & mentem miris modis reficiunt, ac exhilarant?

Verùm, si alij hoc exercitio oblectari solent, ipse multo magis delector, ob idq; et propter supra dictas caussas, te Iacobe amice admonitum esse volui, de nonnullis,

quæ in enarratione aphorismi 28. Sect.6. Hippocratis de podagræ caußis litteris mãdasti: vbi asseris, eò quòd olim eunuchi admodùm tẽperatè viuebant, à podagræ morbo liberos esse, quod Hippocrat. Sententia apertißimè docet.

Ἐυνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται, hoc est, eunuchi nec podagra laborant, nec calui efficiuntur. Verùm nostris temporibus, cùm videamus eunuchos ipsos magis hoc morbo affici, quod credendum esse affirmas ob victus rationis intemperantiam, vnde hoc malũ oriri solet, & hac ratione contendis Hipp. sententiam esse intelligendam, quo loco credis fide codicis manu scripti eunuchos varicibus non capi, non podagra esse legendum, quod etiam Andreæ Lacunæ Segouiensis testimonio confirmas, qui in Græco exemplari ita se legisse testatur, cui Arist. 1. Sect. Problemat. problemat. 39. videtur etiã astipulari, quæ quã vera sint, nouerint illi, qui non ita libenter sine rationis examine, auctorum veterum scripta interpretantur, quos ita imitandos esse censeo, vt rei, de qua sermo est, nulla sit dubitatio, nec contentio: quod commodè fiet, si priùs de podagræ ratione pauca dicã. Est igitur podagra morbus qui, auctore Aëtio, in pedibus oritur cum debilitate articulorum, diuturnaq; fluxione, quæ pedes, aut genua inuadit, vt dolor inde fiat: nec ob id quidem, quòd hoc malum vnum, aut alterum solùm locũ occupat, Arthritidem nominari conuenit. non enim Galenus, 16. commẽt. 3. libri aphoris. vult articularẽ morbum dici, quòd genua, aut pedes doleant, sed quòd multos simul infestet articulos. Crura verò, aut genua dolẽtes solùm hos podagricos nominabis, quamuis ποδάγρα vitium pedum

sit

sit, auctore Gal. in principio. 2. lib. Methodi medendi: cuius mali caussa cibariorum intemperantia, crapula, aut ex immodicæ Veneris vsu oritur: quæ tria ita nostris temporibus inualuerunt, vt nemo sit ferè, qui se virum credat, quem harum trium rerum non capiat desiderium. Quid dico capiat? immo capiuntur turpiter, & petulanter omnes ab illis, quòd summum delectationis genus, quo in terris dulcius nullum esse existiment, si veluti mancipia, aut iumenta Veneri, aut Baccho sic inseruiant, vt nullus in potando, aut coëundo sit modus. Quòd tamen ad palatum pertinet, non rura, non maria, non cælum sufficiunt: nec satis sunt, quæ ipsa natura produxit, nisi hæc omnia nouo, ac adhuc nec orbi viso, condiendi ordine ita immutentur, vt non sapor idem, non odor maneat vllus: immo diuersa, & longè alia videatur genuisse natura. Dolerem ipse, si hîc non admonerem homines Christianos tam vituperandæ consuetudinis, cùm vitam omnem in ciborũ ingluuie, ebrietate, ac luxu traducant: & si festum adsit aliquod, quo Deo potiùs vacare oportebat, perniciosis voluptatibus eousque indulgent, vt in varios, diuturnosq; morbos incidãt, è quibus vix se tota vita explicare possent, inter quos podagra est, cuius rei Galenus nõ minùs doctè, quàm eleganter meminit lib. 6. de Sanitate tuẽda ferè in medio his verbis.

TEXT. Verùm multi per intemperantiam adeò nihil agunt, quò quod vitiosum in corpore est corrigant, vt etiam ipsum magis accumulent, dum vitioso victu in ipsis festis vtantur: quò fit, vt aliis eorum diutini morbi incidant, è quibus tota vita explicare se nequeunt; cuius generis sunt poda-

gra, & articularis morbus.]

Qui morbi eunuchos olim non ita infestabant, vt nostris temporibus, idq; tribus de caußis: Primò videlicet, quod nunquam ocio vacabant: Secundò, quòd à Venere abstinebant, quæ articulos & pedes (maximè si immodica fuerit) plurimùm eneruat: Tertiò, quod tẽperata victus ratione vtebãtur: vnde Hipp. sentẽtia quæ asserit eunuchos minimè podagra capi, lõgè verior est quàm dici poßit, nec, quòd nostro tempore multi eunuchi hoc malo infestentur, grauißimi auctoris est calumnianda sententia: nec etiam vlla fides est habenda exẽplari manuscripto Andreæ Lacunæ, vbi legitur eunuchos varicibus non capi: quod etiam Arist. sententia confirmabatur loco superiùs à nobis citato, vbi inquit: Cur spadones vel omnino varicibus vacant, aut minùs habent quàm ceteri: quam sententiam per Hipp. potiùs corrigendam arbitramur, cùm ipse Aristoteles non dedignetur rationum Hipp. de natura interpretem esse, quique illo antiquitate, & doctrina posterior fuit: quò fit, vt non ita facilè Hipp. ab illo corrigi debeat, quod ex nominis diuersitate persuaderi potest, quã Galen. lib. 2. Methodi medendi in principio inspiciendam docet. Ἐυνοῦχοι igitur generale nomen est, & in tres species diuiditur, spadones videlicet, et thlibias, & castratos. Castrati verò, sunt quibus statim à pueritia testes & coles totus execti sunt, aut qui naturaliter sine testibus geniti sunt, & ij minimè vnquam arrigunt: ideo proprijßimè Græcis eunuchi dicuntur, qui Latinis castrati sunt. Ἐυνοῦχος enim Græcè, teste Phauorino, appellatur ἀπὸ τοῦ τὴν ἐυνὴν ἔχειν quod est, quòd reginarum, & virginum lectum custodiant. Dicuntur

rursus

vurſus thlibiæ, quibus in principio à matre, aut nutrice attriti ſunt teſtes, vt minimè generare poßint: dicti ἀπὸ τοῦ θλίβειν quod eſt ab atterendo. Eſt etiam tertium eunuchorum genus ſpadones ſcilicet, quibus propter vinculũ, quod in fine virgæ potius conuerſum eſt, generare impoßibile eſt: non quòd ſemen fœcundum non habeant, ſed quòd in virgæ flexibus hærens, ferri prorſum nequeat: quam rem curatio cõprobat, vinculo enim abſciſſo generant: vt Gal. auctor eſt lib. 15. de Vſu part. cap. 3. ex quarum vocum ſignificatione apparet Hipp. ipſum locutum fuiſſe de prima illa eunuchorum ſpecie, caſtratorum ſcilicet, non ſpadonum, quos licet Ariſt. loco citato caſtrari dicat: à Galeno tamen, meliùs credimus dictum eſſe, quod etiam vocabuli proprietas oſtendit. Spadones enim Græci dicuntur ἀπὸ τοῦ σπάειν, id eſt, conuellendo, quòd ſcilicet vinculum quod ad virgam habent, pudendum ſic conuellat, vt motus eius ſic contortus ſemen intus ſic retineat, nec extra ferri poßit. Vnde impropriè, ſicut alia multa, Iuriſconſulti vtuntur ſpadonum appellatione, quòd credant vocabulum ſpadonis generale eſſe, ac veluti genus ad alias duas eunuchorum ſpecies. in. L. ſpadonum. ff. de verborum ſignificatione. Vlpianus verò in. L. Pomponius. ff. de edilitio edicto dicit. Spadonẽ morboſum nõ eſſe verius: mihi videtur, ſed ſanum, ſicuti illum qui vnum teſticulum habet, qui etiam generare poteſt.

Quòd tamen eunuchi nunquam aut raró, podagra capiantur: ob id fieri credimus, quòd videlicet, deſit illis ſubtilis quidam humor cuiuſmodi bilis eſt, qui craſſum, ac contumacem ſuccum podagram efficientem remeare faciat, ac veluti manu ducat per ductus, ac anguſtißimos

mos meatus. Cui expoſitioni ſi fidem adhibere cupis, nō tam liberè Hipp. ſententiam calumniaberis, qui veriſſima, & eruditiſſima medicinæ artis præcepta nobis tradidit. Vale.

De ſanguine hirci eligendo pro calculoſis contra Iacobum Siluium. CAP. II.



VM præteritis diebus commentariolum de calculi renum curatione ſcriberem ad Rodericum Sanzium, virum moribus, doctrina, ac ſanctimonia eximium, cui ob innumera in me collata beneficia ita deuinctiſſimus ſum, vt grati animi erga illum aliquam oſtēderem ſignificationem, qua potui diligentia, quæ meo experimento comparaueram, quæq; ex auctorum grauiſſimorum libris, huic morbo vtilia eſſe compereram, veluti in compendium quoddam congeſſi, vt in promptu illi eſſent ad morbum illū, quo ſæpenumerò acerbiſſimè cruciabatur. Poſteà, vt mei moris eſt, quæ à me iam ſcripta ſunt diligentiùs illa iterum, ac iterum lego, & accuratiùs quàm anteà feceram, illa cerno, ſi quid deficeret, quod ad completam curandi huius morbi rationem opus eſſet, vt omni ſtudio, opera, ac inquiſitione ipſe complerem, quod deficeret: ne, ego qui illi prodeſſe cupiebam, cui plurimum me debere fatebar, ridiculus viderer. Inuenio itaq; nō nulla, quæ immutaui, alia, quæ fide ſolùm auctorum, à quibus illa mutuatus ſum vtilia eſſe renum calculo, nō meo experimento didiceram: quod in morbis curandis plurimum valere auctor eſt Gal. Prætereà cùm meum il-

lum

lum commentarium cum alijs non nullis ad amicũ quendam non parùm doctũ misissem, qui eruditione qua pollebat plurima, ea politiora redderet, & , vt decebat amicum, de illis calculum suum ferret : quod à me non ineptè quis factum esse iudicabit, si animaduertit illud Ciceronis verum esse: videtur, inquit, quidquid litteris mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione.

Amicus itaq; cùm mea scripta legisset, statim litteris mihi significauit, illum non parùm lætitia affectum fuisse, quòd illa antequàm in lucem ederem, illi communicassem. Verùm me admonuit obliuionis, quòd cùm de auxilijs calculi renum agerem, remedij cuiusdam multis nominibus à grauißimis pariter & eruditißimis auctoribus commendati, hircini videlicet sanguinis oblitus fuerã. Cuius rei gratia nõ pauca hîc de sanguine hirci me dicturũ institui, in cuius electione Iacobũ Siluiũ inter præclaros nostræ ætatis medicos, præclarũ medicinæ lumen deceptũ fuisse ostendemus: cuius scripta quidẽ, licet apud doctos omnes sua laude digna sunt, quæq; ego tãti facio semper, vt illa non legerem vnquam sine auctoris cõmẽdatione. Verùm humanũ ingeniũ sæpenumerò in artium cognitione ita fallitur, vt quod falsum prorsùs existimandum est, illud interdum verum esse contendit : quò fit, vt multi docti, quamuis sæpißimè de veritate optimè sentiant, sæpius illos tamen lapsos esse videas, quos falsæ opiniones non solùm surdos, sed & cæcos faciunt, vt videre nequeant, quæ, vt Galen. auctor est, alijs cõspicuè apparẽt. Qui verò studiosi solùm, nec adhuc ab alijs docti sunt habiti, nihil palã profiteri audent, quod falsum videri poßit: sed in omni ge-

nere disciplinarum veritatem ita sequatur, vt sine ea hominum ingenia, nec quidquam in disciplinis præstare posse, affirment.

Verùm, ne longiùs, quàm par est, sermonem diuertam, paucis absoluam, quæ superiùs promisi me dicturum de sanguine hirci. Sanguinem igitur hircinum renũ calculo vtilem esse, non solùm recentiores, sed veteres etiam scriptum reliquerunt, inter quos Aëtius est, & Paulus Aegineta, Alexander Trallianus, & Auicenna, qui omnes medium hirci iugulati sanguinem colligunt, & calculosis cum alijs ad hanc rem commodis mistum, in vase vitreo, seruare iubent: nec ob aliud quidem, quàm quòd melior sit priori & vltimo, quòd nemo inficiabitur profectò, si hirci temperaturam animaduertat: cuius non est parua controuersia apud Aristot. & Isacchum, cùm ille hircos natura humidos & calidos esse dicat, ideoq; ad Venerem procliuiores. 10. Sect. Problemat. Problemat. 26. hic frigidos & siccos esse tradit, lib. de Diætis partic. cap. de carne hircina. Ab Arist. videtur dissentire Gal. 3. de Alimẽt. facult. cap. 2. vbi hircorum carnem ad coquendum, & ad bonum generãdum succum deterrimã esse ait, nec ob aliud quidem, quàm quòd frigidæ & siccæ temperaturæ sit, alimentum enim quod huiusmodi est, nequam & prauum generat succum, sicut caro hircina, quæ licet, frigidæ & siccæ naturæ est, generat tamen sanguinem, vt auctor est Aëtius, cum acrimonia quadam, qua veluti aculeis quibusdam, excitantur hirci, eoq; Veneris auidiores sunt, & ob id fortaßis capras, nec vnquam febre carere, ex Archelai sententia: Plinius auctor est lib. 8. cap. 50. quòd præter naturam frigidã

&

& siccam quam habent, prædite etiam sint illa sanguinis acrimonia, quam febrem in capris non inepte quis appellare potest. Quid enim, dic quæso, magis febris est, quàm coëundi libido, qua magis quàm febre viscera inardescunt?

Ceterùm, licet caro hircina siccæ, & frigidæ temperaturæ à nobis definiatur, non tamen hircos omnino eiusdem temperamenti esse dicimus, dum viui sunt, sed ipsos caliditatem quandam habere à natura, à qua sortiti sunt, abundè satis amaræ bilis: quò fit, vt capris quæ etiam illa abundant, alimenta, quæ amara sunt, dulcia sint. Quibus ita habitis, non est audiendus Iacobus Siluius, qui in suis scholijs in libro Hipp. de Natura humana errorem dicit esse practicantium medium sanguinem hirci iugulati colligentium ad calculum, quod persuadet ex Hipp. sententia, quòd dicat, In his quæ iugulantur, sanguis fluit primùm calidißimus, & ruberrimus: deinde pituitosior, & biliosior. quod diffiteri non audemus, quamuis ingenio nostro satisfecisse me crederem, si palàm dicerem, quod suspicor. Dicam tamen Hipp. sententiam, in hominis iugulati sanguine verißimam esse, quam ad hircorum sanguinem contorquet Siluius. Hippo. enim de Natura hominis agit, ad quam omnia quæ disserit referenda sunt: non tamen ad naturam aliorum animaliũ, ad bouem scilicet, aut ad hircũ, cuius iugulati sanguis medius, melior esse debet: eò quòd totus quo abũdat biliosus, acer, & acutus est, et qui prius exierit, subtilior et calidior esse debet, medius nõ ita subtilis aut calidus, vltimus iã aliquid habeat pituitæ, et ob id nõ probatur: fit itaq;, vt medius melior sit ceteris. Verùm si vim illã quam sanguis hircinus

nus ad calculum habet ad actionem propriæ substantiæ cum Tralliano lib. 3. referre velis, parum interest, primus, aut medius, aut ultimus colligatur, nisi dicas experimento (quæ fides est utilitatis medicamentorum) compertum esse medium hirci iugulati sanguinem calculosis utilem esse.

An liceat puerum septennem transmutari à loco, in quo natus est, in aliũ, ad Domin. D. Andream Noronnam illustrissimum, ac reuerendissimum Episcopum Portalegrensem. CAP. III.



ELLEM, amplißime Pater, ut antequam ad te scriberem, aliquo integerrimi amoris, quem erga te habeo, indicio priùs tibi notus esse, ut sine pudore, quod de te sentio, palàm dicerem. Verùm ea est tuarum rerum omniũ celsitudo, ut pudeat nõ solùm me, verùm quempiam me ipso facundiorẽ de illa aliquid dicere, cùm vix mẽtis acie cernere poßit, quãtũ splẽdescat tua ubiq; virtus, ac humanitas. Tuus tamen candor, ac in omneis clementia effecit, illustrißimè vir, ut, qui apud alios tui ordinis viros, propter varios fortunæ euentus vix notus esse potuerim, apud te notißimum me fore existimẽ, si ea, qua possem, animi integritate, officio, me talem tibi præstitero, qual ẽ tua amplißima dignitas esse velit. Velit tamen semper, quod mihi admodum carum, dulce, ac suaue futurum est: nec enim aliud mihi accidere potest, quod magis me lætitia afficiat, quàm si, quidquid ipse

ve-

velis, toto amplectar pectore, & summis gestẽ visceribus, quod tamen id te sentiam, tibi plurimùm debeo, debeáq;, donec ostẽdã aliquo gratitudinis signo, quã tibi deditissimus esse debuerim. Verùm vt aliqua officij mei significatione, animo meo satisfacerem, quamuis mihi hac in re, serò satisfacere possum, quod audierim à te nostrum Regem serenissimum hoc verno tempore ex Olyssippone in Santarenum venturum ad te, an liceret illi ex medicinæ præceptis id facere, qua potui diligentia, scribendum curaui: quod tibi non ingratum fore existimo, quòd de Regis salute, quæ carissima, & exoptatissima esse debet propter nõ vulgares caussas, quarum prima hæc est: quòd atauis regijs editus sis, curãq; etiam habueris Ioannis Principis nostri immortali quidem vita dignissimi, & carissimi patris, nostri serenissimi Regis: cuius Principis recordatione, vix possum à lacrymis temperare animũ, qui nouerim, quantum splẽdori, & ornamento fuerit vniuersæ Lusitaniæ nostræ.

Verùm, ne longius, quàm par sit, nostra abeat oratio, rationem nostri argumenti paucis ostendam: ne fortè sermonis prolixitate tibi molestus videar, cui plurimùm complacere cupio. An liceat itaq; puerum locũ, in quo natus est, custodiendæ sanitatis gratia, circa quam medicinæ altera pars versatur, paucis expediam: dum tamen priùs monitos habeam illos, quorum doctrinis, cõsilijs, ac auctoritate Regis nostri serenissimi res agitur, & gubernatur, nec in hac Olyssipponis in Santarenum mutatione præcepta medicorum respuant, & aduersentur, videantq; vnicã nostræ omnium salutis spẽ, ex tot Lusitaniæ calamitatibus in nostri Regis adhuc pueri salute relictã esse. Quòd tamen ad quæstionẽ attinet, libenter

benter dico illum sine vlla valitudinis prosperæ offensa, locum, hac qua natus est ætate, mutare posse, hoc verno præcipuè tempore, quo non offendetur à cõtrario aliquo, cum pueri ætas verisimilis sit: vt Galen. scribit lib. 8. de Placitis Hipp. & Platonis: Immo pueri eo tẽpore multò magis quàm alij mutari possunt, siquidẽ, vt Galenus auctor est 2. lib. de Temperament. & 9. de Morb. curandis in fine, puerorum substãtiæ, vtpote humidæ, multum foras effluit. similibus conseruari debẽt, humectatione videlicet, quæ alimentis, tempore, ac loco acquiritur, quæ omnia in hac nostri serenißimi Regis mutatione, compleri possunt. Tempus, ver est omnium saluberrimũ, vt à Gal. traditur. 1. lib. de Temperamẽtis: cuius temperatura omni ætati conducit: puerorũ tamẽ magis ætas hoc tempore gubernatur, vt incolumẽ vitã ducant, quippe qui calidi, & humidi sunt: ver autem calidum & humidum in se habet, vt Gal. ait in Commẽt. 6. Aph. Hipp. sect. 3. quo loco, nõ nullorũ errorem emẽdandum consulimus, qui ver ipsum calidum & humidũ existimant à Gal. dictum esse, cùm res aliter se habeat: est enim calidũ hoc loco nihil aliud, quàm vt ipse Gal. suiipsius interpres est: lib. 3. de Simpl. medic. facult. cap. 11. quòd mediocriter temperatum, sicut balneum quod est huiusmodi. Esse tamen ver humidum, ita intelligendum est, vt eo videlicet tempore, plurimum humiditatum in nostro corpore sit, propter hyemem antecedẽtem, quæ huiusmodi humiditatibus nostrum corpus abundare fecit. Verno itaque tempore, quia temperatum est, vtpote medium inter reliqua tempora, in quibus vita ob multa incommoda periclitari solet, Rex noster mutari potest, ea saltem ætate qua natus est: nec enim

tam

tā tenellus est, vt quæuis mutatio, incommoda videatur: nā qui iam tertiū aut quartum annū agūt, his vehiculo, aut nauigio modicè agitari licet: septennes etiam valentiora exercitia tolerant, ita vt equitare iam assuescant, vt Galenus, non minus eruditè quàm eleganter docuit lib. 1 de Sanitate tuēda, cuius quidem sententiā, ob singularem, ac ferè diuinam nostræ artis cognitionem quam habuit, pluris faciendam omnibus, quàm centum aliorum: persuasum esse volo illis, qui quorundam barbarorū præceptis ita addicti sunt, vt Galeno doctrinæ puritate, videlicet relicta, illos solùm colant ac venerantur.

Quare agè, hac solùm auctoritate Regi nostro consule, vt bonis auibus Santarenum petat, hac præsertim septem annorum ætate, qua ex medicorum decretis etiā equitare licet, quòd credunt pueros (qui vsque ad quartum decimum suæ ætatis annum ita appellantur) tuendæ salutis ergò esse exercendos, non solùm equo, verùm etiam arcu, & funda: quod etiam iubebat Plato 7. de Legibus, vbi post annorum sex ætatem, à fœminis pueros esse discernendos, & equorum magistris tradendos esse dicebat, ludis etiam qui honesti sunt assuefaciendos. 4. de Republic. quod relaxandi puerorum animos, & conseruandæ sanitatis gratia instituebat: nō tamen semper esse ludendum nos consulimus, nec enim à natura geniti sunt, vt ad ludum, & iocum, facti esse videantur, sed ad seueritatem potiùs, & ad graues quasq; occupationes, & ad studia grauiora, ludo verò, & ioco, vti possunt, postquàm serijs, grauibusq; rebus, ac negotijs defuncti fuerint. Quod si omnibus pueris cauendum esse iubemus, quantò magis puero Regi, qui

ob

ob summam, qua natus est, morum celsitudinem, ita illum summis, altißimisq; rebus assuescere oportet, vt solum propter iucundum corporis oblectamentum, ludo interdum vacare poßit. Vale, & ita, ut soles, gregem tuum instituas, & pascas, vt à Deo mutuò talionem accipias. Iterum vale.

De facultate & vsu mali punici, Granati dicti, epistola Hispanicè à me scripta D. Ioanni de Vargis, & in vsum medicorum iterum per me Latinè facta. CAP. IIII.


ON eram inscius, Ioannes nobilißime, quantùm tibi debueram ob innumera in me collata beneficia: propter quæ priùs, quàm illa expertus sum, noueram, quantum quisq; ob tuum in omneis cādidum pectus tibi deuinctus esse debeat: quò fit, vt citò, & diligenter mihi ad te litteræ essent mittendæ, quibus amoris nostri aliqua significatione tibi mei animi gratitudinem ostenderem, ne deesse illi viderer, cui me totum tradidisse cupiebam. Verùm per curas, quæ verè, quia cor vrunt curæ dicuntur, non licuit vt ad te scriberem tam citò, quàm cupiebam: vt de ea re quā à me petijsti, Olyßippone cùm essemus, certiorem facerem, ac quid intelligerem, dicerem, de vsu videlicet malorum punicorum, quem à medicis Hispalēsibus in febribus summè laudatum dicebas, quòd mala granata febrium ardori, siti, & ventriculi imbecillitati Arabicis medicis, à quibus hæc poma priùs ad nostros deducta sunt, non parùm vtilia esse dicantur,

tur, idq; audiuisse à medico quodam, non postremæ no tæ mihi narrasti, rogasti etiam, ad meos lares, cùm redissem, vt ad te scriberem, quid sentirem, quod & me facturum promisi: sed cùm hucusq; non potui, erubescebam tamen, si apud me inter amicos meos de te mẽtio aliquando fieret (fiebat enim sæpenumero) si quod debueram iam fecisse, negligenter relinquerem: eoq́; iam ad te scribo de ea re quam scire cupis. Mala igitur Granata (vt à nomine incipiam) à granis seu acinis, quibus plena sunt, dicta videntur, quæ mala etiam punica appellantur, quòd apud Pœnos circa Carthaginem multùm abundant. & ob id punicum malum: vt Plinius auctor est lib. 13. cap. 19, nomen sibi vendicauit, quod & Græci Ῥοιὰ appellant, cuius ab eo etiam quinq; traduntur species, dulcia, acria, mista, acida, vinosa, inter quæ Græcis etiam ἀπύρηνα, quibus lignosus nucleus abest, dulcia propriè appellantur. Verùm hæc pauca de punicorum nomine à nobis dicta sunt, ne pueriliter aberrare contingeret cum illis, quos paßim video ignorata ita nominum rerum medicarũ, proprietate ac ratione, vt cùm rebus circa quas versantur sæpißimè cælum terramq́; misceant, quod cùm turpe sit illis admodum, multis etiam periculosum est.

Dioscorides tamen malorũ punicorũ tradit tria genera, lib. 1. cap. 152. dulcis videlicet & acidi, & vinosi: acre cum acido, & mistum cum vinoso coniungit, breuitati studens, ex quarum specierum malorum punicorum saporibus, si diligenter aduertas, illorum temperaturas inuenies. Quæ enim dulcia sunt, temperamento calido constare rationi consentaneum esse, non pauci sunt qui dicant, inter quos Galenus auctor

est, lib. 4. de Simpl. medic. facult. vbi in hunc modum ita inquit, cap. 9.

[Verùm, dulce omne calidum est, nec immodicè calorem nostrum exuperat, immo sicuti aqua calida cuius contactus voluptati est, maximè vbi frixerimus, hactenus videlicet nos excalfaciens, dum concretas frigore in nobis particulas fundat, non tamen soluat aut secet, distrahatue continuum, ea, inquam, vt summa afficit voluptate, ac vtilißima est: sic omne edulium calidum omnino est, sed non tantùm calore excedit, vt is lædat ac molestus sit, sed inter limites se cõtinet fundẽtis, leuigantis, ac mollientis.] Quod etiã Arist. scriptum reliquit. 23. Sect. Probl. Proble. 12. quòd etiam, inquies, succus dulcis calidus est.

Ex quibus apertè & sine dubio disces mala punica dulcia calidi temperamẽti esse, acida verò, refrigerandi vim habere: acidum enim vt Gal. auctor etiam est lib. citato superiùs cap. 7. frigidum est: quò fit vt mala punica dulcia, calida sint, et acida, frigida: vinosa tamen & mista medio modo se habere consonum rationi esse poterit: acria verò cum acidis coniungenda sunt, vtpote, quòd frigidæ naturæ sint.

Verùm, quamuis Paulus Aegineta dicat, Punicum omne astringendi vires eximias habere, quibus refrigerat, siccatq́; verùm dulce alijs minùs: non ob id statim facilè licet fateri, malum punicum omne frigidum esse, cùm dulce calidum esse non est negandum: nec sufficit Amati Lusitani conciliatio, qui in enarrationibus suis in Diosc. credit Paulum dulcia granata non cognouisse: immo, quæ apud nos vinosa aut media sunt, pro dulcibus illi haberi ait, quod vix quis-

piam

piam in Galeni ſcriptis mediocriter verſatus dicat, quòd ex ratione illa Amati apertum eſſet Galen. ipſum etiam dulcia mala punica non vidiſſe, quod verũ non eſſe oſtendunt, quæ ab eo ſcripta ſunt lib. 8. de Simplic. medic. facult. cap. 81, his verbis.

[Malum granatum omne abſtringentem, facultatem obtinet: non tamen in omnibus ea exuperat. Sunt enim inter ea quædam acida, quædam plùs dulcia quàm auſtera, & ſanè quæ ab vno quoque eorum procedit vtilitas ſecundum vincentem eueniat qualitatem, neceſſe eſt.]

Quæ à Paulo Aegineta ſumpta ſunt, vbi granatorum dulcium meminit, quæ calida ſecundum ipſius Galeni ſententiam cenſenda ſunt: fruſtrà enim nos ad lectionem 4. libri huius tractationis relegaſſet, vbi dicit dulce omne calidum eſſe, vt ſuprà annotauimus, ſi dulcia granata illi nota non fuiſſent: quòd ſi hæc ratio fortaßis leuis videatur, nullam fidem velim adhibeas Paulo Aeginetæ, quòd Dioſc. dicat lib. 1. cap. 152. dulcia granata calorem gignere, quod Hipp. teſtatur lib. 2. de Diæta, quibus grauißimorum auctorum ſententijs liquidò conſtat, Auicen. deceptum fuiſſe. 2. lib. Canonis cap. 320.

Quòd tamen malum punicum omne ſtomacho vtile ſit, vtilius etiam quod dulce eſt, Dioſc. qui, vt Galen. auctor eſt. 6. lib. de Simpl. medic. facult. perfectiſſimè omnium, tractatum de Medicamẽtorum materia confecit, dicit his verbis.

[Malum punicum omne boni ſucci eſt ſtomacho vtile, per exiguum ſufficiens alimentũ, dulcia, ſtomacho vtiliora habentur.]

Qui locus è regione pugnare videtur cum Plinij sententia lib.23.cap.6.vbi inquit. Ex his dulcia, quæ alio nomine aperyna appellamus, stomacho inutilia habentur: cuius loci difficultatem possem pro mea virili soluere ac diluere, si tuum, aut cuiusuis beneuoli lectoris iudicium, hac in re, sicuti in alijs multis, multò meliùs quàm meum non suspicarer. Volo enim cùm hæc scribo vt alijs prosim, aliquid non scribere, quod etiam mihi prodesse poßim. Sunt prætereà mala punica ad nonnullos affectin commoda, vt est Cardialgia, cuius Galenus meminit lib. 2. de Aliment. facult. cap.24. his verbis.

[Sunt enim interdum prædictis duobus fructibus vtiliora, tum ad alios affectus, tum ad eum cuius Hipp. lib. 2. de Morbis populariter grassantibus meminit, his verbis. Mulier Cardialgia torquebatur, nec priùs malum est sedatum, quàm polenta succo punici aspersa, semel in die vteretur reliquis cibis abstinens, nec ampliùs reijciebat, qualia Cherion Charitonis filius: hunc certè humorem, inferiùs etiam inquit, polenta quidem exiccauit: succus autem punici cum ea sumptus, ventriculum roborauit adeò, vt humorē ipsum in tunicis contentum expellere potuerit.]

Quo loco malum punicum ventriculo mirum in modum conferre ostenditur: quod Galen. non minùs eruditè quàm solet confirmat lib. 10. Meth. medend. cap.3. vbi elegantißimè, & festiuißimè febrientis cuiusdam iuuenis narrat historiam: qui quorundam imperitorum medicorum consilio inedia confectus, & extenuatus erat, ad quem, cùm acceßisset ipse, alica ex aqua calida, citra cocturam, iniectis in eam mali puni-

punici granis vsus est.

[Est namque, inquit ille, is optimus cibus bilioso stomacho, nam & roborat hunc, malum punicum.]

Quo loco manifestè apparet febrientibus citra calumniam vllam propinari posse succum, vel grana malorum punicorum, eisq́; non vt alimento, sed vt medicamento vtamur, ad roborandum videlicet ventriculum: quo remedio febrientes semper opus habent, vt scilicet ciborum concoctioni magnopere prospiciamus, ac eius rei caussa roboris quoque instrumentorum, quibus perficitur, non leuem curam habeamus: quod Galen. commendat lib. II. Methodi medendi cap. 15. Adde etiam aliam rationem, qua quis non ineptè poterit vti in febribus paucis mali punici granis: nec admodum capitale esse credimus, quòd quædam alimenta vt nutriant solùm sumuntur, quædam vt medicamenta etiam sint: alia verò suauitatis gratia sumuntur, nam quod suauius est, facilius ijs, quæ ex æquo sunt salubria, concoquitur, vt Galenus auctor est lib. 2. de Alimentorum facult. cap. de Oliuis.

At malum puncium cùm perexiguum, teste Oribasio lib. 2. cap. 51. omnino corpori alimentum præbeat, & illo pro medicamento, quàm pro alimento vtimur: suaue etiam est, cur non suauitatis gratia, febrientibus degustandum propinabimus? Nónne Galenus ipse docet lib. I. Artis curatiuæ ad Glauconem cap. de Tertiana febre. Ex fructibus illos degustandos esse qui non sunt difficiles concoqui? Quis tamen negabit mala punica facilis non esse concoctionis cùm eorum subtilitas id præspicuè ostendat, nemo sanè nisi fuerit

medicellus aliquis, qui tum temporis aliquid se scire existimat, cùm vno aut altero, Galeni, aut Hipp. loco ex indice reperto, qui aliquo modo contrarius videtur, sibijpsi, aut alicui alteri, statim medicos alioqui doctos reprehendit ac calumniatur, vt mihi contigit aliâs, cum quodam miseræ conditionis medico, qui, cùm mali punici grana cuidam febricitanti, cuius curam habebam degustanda præberē, in cibum illum venenum ita debacchatus est, vt rogarem illum qui tantopere alimentum, illud damnaret: tunc ille respondit, Galenus cuius auctoritas apud te pluris sit quàm centum aliorum lib. 13. Method. medendi cap. 14. scribit hæc verba.

[Nam malum punicum, & cetera quæ adstringunt, dum bilis meatus os arctant, bilem ipsam excerni prohibent, atque inde iocinoris phlegmonis sunt incommoda.]

Quo loco inquit mala granata arctos meatus reddere, & proinde febribus esse neganda, quam nullius momenti sit hæc argumētatio, facilè iudicabit qui viderit Galeni ipsius sententiam in iocinoris phlegmonis locum solùm habere, non in febribus, in quarum curatione ipse loco superiùs à nobis citato vsus est granis malis punici mistis cum alica. Verùm licet Diosc. lib. 1. cap. 152. cuius superiùs meminimus, mala punica in febribus abdicanda esse velit, cuius etiam sententiæ Plinius est locis à nobis citatis: dicimus tamen, de dulcibus eorum sententias esse intelligendas, ob calorem videlicet quo prædita sunt, quæ quoque confortandi ventriculi ergô degustari etiam possunt, dummodo nec multum illorum edas: auges enim febris calorem

lorem, si modum non seruaueris edendo.

Ex quibus omnibus dißimulare non possum Aloisij Mundellæ audaciam, qui epistola quadam sua Agathio iureconsulto scripta, Auicennæ tacito nomine errorem vertit, qui pleuriticis mala punica exhibet, quasi hoc capitale sit illis, quod me facere vbique palàm fateor, nec ob id me aliquo iure damnandum esse arbitror, præsertim cùm dulcia granata paßim exhibeo pleuriticis, quòd ob dulcedinem quàm habent, pectoris leniendi facultate pollent. Quis enim dulcia neget pectori cōducere? tamē etiam quia calida sunt, quodammodo sputis concoquendis apta sunt, concoctionem à calore fieri necesse est: verùm nec adeò calida sunt vt febrem augere poßint, cùm dulce omne calidum sit, non tamen immodicè nostrum calorem exuperat.

Quòd si dicas propter astringentē vim, quam habent, pleuritidi aduersari, dicimus ad hoc, quòd immo propter illam vim astringentem magis pectoris musculos, & neruos roborari, parariq; aptiores ad sputorum expulsionē, quàm constringi: certiùs est quàm vt demonstrari debeat, expultricem neruorum facultatem, siccitate (qua constant modicè astringentia omnia) roborari. At, cùm malum punicum modicè astringens sit, potiùs pectori conferet quàm aduersabitur. quæ si tibi non arriserint, meliora scribe, & libentißimè tuum amplectar iudicium, gratiasq; agam ingenteis, quòd veriora mihi ostenderis.

Commentarius de variolis, quæ à nonnullis exanthemata dicuntur. CAP. V.



ARIAE sunt res, quæ humanum corpus, veluti acerrimum hostem expugnare solent: luxus videlicet, vitæq; intemperantia, aëris etiam intemperies, morborum paßim vagantium contagio, inediæ, vigiliæ, labores, ærumnæ, quæ omnia in caussa sunt, vt hunc nostræ vitæ cursum, qui nobis dulcis admodum est, euertant, ac nitantur, vt vix illum perficere poßimus, immo mille periculis, mille calamitatibus, mille etiam malorum generibus vita nostra opprimitur, ac labefactatur. Quæ cùm ita habeant: dic quæso, quis tam sui erit alienus, vt pro viribus omnibus vitam non tueatur suam? Qui in medio etiam mari positus vnquam fluitantibus vndis, turbine procellarum ferè obruptum, ac submersum, cimbam, aut tabulam, aut lignum aliquod non quærat, quò portum salutis requirat, vbi vitam, si poßit, tutißimè seruet? Quid igitur? nónne vitam nostram, tot calamitatibus ac miserijs obnoxam maris procellosis tempestatibus comparare licet? immo profectò nihil magis suis proprijs coloribus mundani huius status conditionem depingere potest, quàm ipsius maris exemplum, in quo, longum esset numerare, quàm multis felix, quàm misera ac infelix non paucis illius sit nauigatio, sicut etiam est huius mundani soli tranquillitas, est & dura tempestas, quarum altera vitam custodit incolumem, altera verò illam ita labefactare facit, vt tabula, aut scapha opus habeat, quæ ad sanitatis portum cursum dirigat: id est, medicum consulat, qui rectè ac cõmode morbis ingruentibus succurrere poßit, qui licet

omni

omni tempore quo quis ægrotat, conſulendus eſt: multò tamen magis, quo populariter morbi graſſari ſolent, illum conſulere oportet, ad euitandum videlicet quæ nocitura videantur, quòd non ſolùm homini, verùm omnium animantium generi, teſte Cice. à natura tributum eſt.

Quæ cùm ita ſe habeant, nec inutiliter operam luſiſſe ſum arbitratus, ſi in vſum, ac vtilitatem illorum, qui conatus, ac labores, cuiuſq; bene inſtituti in ſua arte viri bene conſulunt, non nulla in hoc commentario de Variolis ſcribam, vt qui ea candidè legerint, non parùm commoditatis accipiant: alij verò qui nõ legerint & medici auxilio opus habeant, mihi bene precentur, cùm audierint me aliqua compoſuiſſe pro hoc vulgari ac moleſto morbo depellendo, quòd præterita autumni tempeſtate apud noſtrates, nullus ferè fuit puer quem non inuaſerit: de quo antequàm dicã non abs re me facturũ eſſe exiſtimo, ſi priùs de Morbis popularibus, quòd hic ſit de illorum numero, non pauca dicam.

Eſt igitur Popularis, aut vulgaris morbus, quem Græci ἐπιδήμιον appellant, qui eo tempore quo graſſatur, multos eodem loco offendit, quiq; in aliqua regione abundat, cuius ſignificationis Galen. meminit cõment. 9. libri primi Hipp. de Vict. ratione in morb. acut. qua quidem ratione non ſolùm peſtilentia, verùm alij etiam morbi, qui eodem tempore in aliquo loco plures infeſtant, complectuntur: quò fit, vt toto cælo errent qui epidemiam ſimpliciter peſtilentiam ſignificare autument, confundentes quidem generis ſignificatum, pro ſpecie contra dialecticam rationem,

est enim pestilentia morbus epidimius quidem, non tamen simpliciter, sed perniciosus, & mortiferus: epidimius verò ad vtrumq; genus est, ad vulgarem morbum qui semper letalis est, vt pestis, adiecta tamen hac dictione, ac perniciosus: & ad paßim vagantem morbum, qui non semper perniciosus est, vt oculorum dolores, erysipelata, ac variolarũ febres, quæ mediæ quodammodo videtur inter pestilentiales & non pestilentes, quòd ab illis multi pereant, multi etiã euadũt, vt nos experti sumus, quas inter malignas febres numerare possumus: quòd admodum cõtagiosæ sunt, non tamen ad mutuam distantiam, sed frequentem & mutuam infirmorum tractationem, sed magna ex parte salubres esse solent, quoniam succi praui, quibus pueri plurimi abundant, per illorum ortum ac apparitionem vacuantur ac expelluntur, quòd posteà dicemus, quando de earum caußis verba facturi sumus.

Variolæ igitur an Græcis auctoribus notæ fuerint, nõ parùm dißidet inter auctores. Ioãnes tamẽ Manardus, cui ob raram et admirabilẽ medicinæ cognitionẽ plurimùm debet terrarum orbis, lib. 7. suarum epistolarum, epist. 2. vult Variolas, & morbillos, à nobis ita vocatos, Galeno sub nomine exanthematum explicatos esse, 5. lib. de Morbis curandis cap. 11. vbi pustulas in quadam pestilentia in asperarum arteriarum interiori tunica totáq; extima corporis parte contingentes, non alio quàm exanthematum nomine appellauit, quod etiam ex comment. Galen. 3. lib. Morborũ vulgarium Hipp. Manardus probat, vbi in quadã pestilenti constitutione dicit venisse inter alios morbos

magna

magna ecthymata, id est, tumores quosdã spõte in cute florẽtes, à craßis humoribus genitos, ex quo loco apertè ostenditur, quo nomine appellentur apud antiquos variolæ. Cui sententiæ astipulatur Sebastianus Austrius, in suo libello de Morbis puerorum, & Ioannes Langius, & Tubigensis schola. Verùm aliter rem se habere non desunt qui dicunt, inter quos est Marcus Antonius Montisianus Florentinus medicus. 22. quæst. ex Galeni auctoritate lib. 4. de Sanitate tuẽd. signa excrementorum in venis latentium aßignantis, vbi inquit.

[Si cum pustulis quæ Græci exanthemata vocant, laßitudinis affectus consistat, ex his facilè inuẽtu erit excrementi species.]

Quod de variolis intelligi non potest: cùm reliquæ etiam pustulæ ostendant etiam nobis excrementorum species: quæ excrementa quæcunque fuerint, vel biliosa, vel atrebilaria, vel pituitosa, quæ quandoque salsa, quandoque acria sunt, natura ad cutim trudit, per quæ excrementa quæ in venis sunt contenta, significantur: quare ad illorum significationem variolas spectare opus est, quæ semel tantum in vita hominis contingunt.

Franciscus etiam Valleriola non sine laudis encomio vir nominandus, lib. 1. enarratione. 8. nititur probare variolas, & morbillos, qui in pestilẽtibus febribus per modum crisèos apparere solent, non dici à Galen. exanthemata, quod & mihi satis arridet, quòd credam exanthema nomen esse commune ac veluti superiùs, ad plura pustularum genera, ad albas, ad pallidas, & nigras: quod ex Galeni sententia præspicuum esse

esse videtur, qui lib. de Atra bile in hunc modum scriptum reliquit.

[Quibus verò ægrotantibus excretio per inferiorem ventrem haud satisfiebat, ijs corpus totum pustulis, quæ nigris exanthematis similes essent circum vndique scatuit.]

Vbi nigrorum exanthematum meminit, & in alijs multis locis alba recensit, & aliorum colorum quas papulas Plinius appellat lib. 20. cap. 8. & cap. 20. & lib. 24. cap. 8. quarum morbum Böam appellari etiã auctor est eodem loco, his verbis.

[Böa appellatur morbus papularum, cùm rubent corpora, Sambuci ramo verberatur.]

Eorum duo genera esse Cornelius Celsus in fine. 5. libri auctor est: alterum in quo per minimas pustulas cutis aspera redditur, ac rubescit, & leuem quandam rosionem habet: aliud verùm est, quod seuum ac ferum est, idq; ἄγριον Græci appellant, in quo asperior tamen cutis fit, magisq; vehementiùs rodit & rubescit.

Fiunt igitur exanthemata, quas variolas dicimus, à sanguine menstruo interdum: interdum etiam ab impactis in cute succis: sublimia tamen, à tenuiori & calidiori humore fiunt: lata verò, à frigidiori generantur, vt Galenus comment. 9. lib. 6. Aphoris. ait, & ob id quidem, non admodum pruriunt, aëre etiam venenoso & praua victus ratione: quò fit, vt inter epidemios morbos numerentur, & vt docet Hieronymus Fracastorius Veronensis medicus lib. 1. de Morbis contagiosis cap. 13. Pestilentium febrium signa sunt, quæ pueros maximè inuadunt, deinde iuuenes: raro ta-

tamen senes, eò quòd eorum natura corpus profundum expurgans, est magis imbecilla: puerorum verò & iuuenum fortior, quorum corpus ad omnem sanguinis excrementitij expurgationem paratius est.

Signa verò cùm multa sint Græcis medicis, Arabibus, & Latinis, quibus exanthemata cognoscũtur, non minùs doctè quàm curiosè, à Ioãne Paschalio medico Valentino, quem suo honore defraudare minimè cupio, traduntur, lib. 2. cap. 10. Quorum primum signum est, dorsi dolor: Secundum, nasi pruritus: Tertium, timor in somno: Quartum, est vehemens sentientium punctio: Quintum, totius corporis pondus: Sextum, totius faciei rubor: Septimũ, lacrymæ: Octauum, totius corporis feruor ac ardor: Nonũ, frequẽs pandiculatio, quem halicem dicunt: Decimum, palpitatio, seu concußio: Vndecimum, compreßio anhelitus: Duodecimum, raucedo: Decimum tertium, sputũ crassum à multo calore: Decimum quartum, capitis pondus, ac grauitas: Decimum quintum, cordis tremor: Decimum sextum, oris siccitas magna: Decimum septimum, perturbatio animi & conuulsionis: Decimum octauum, commitialia symptomata: Decimum nonum, thoracis ac gutturis dolor: Vigesimum, tremor pedum & manuum. Adde etiam signum ab vrina sumptum: vrina enim subalbida & subtilis, & aliquantũ turbata, signum exanthematum indicat. Quæ signa omnia febris magna & ferè ardens, aut subsequitur, aut præcedit: quæ si præcedat, posteà verò variolæ subsequantur, saluior est, vt Auicenna inquit fen. 1. 4. cap. 6. cui plurimùm laudis in hac re, vt multis in alijs tribuere debemus, quàm sint variolæ præceden-

tes,

tes, deinde subsequatur eas & accidat super eas febris.

Signa prætereà mala quæ seuire solent cum variolis, an ab ipsis sumũtur, aut quãdo scilicet nigræ sunt, aut virides, quæ omnes malæ sunt, peßimæ tamen omnium nigræ: rursus etiã deteriores plures sunt quàm pauciores, maiores quàm minores, quod ex sententia Herodoti Aëtius scripsit. I. 2. Tetrabilli cap. 129. Quod contrarium videtur Auicennæ, qui loco quem suprà citauimus, dicit variolas magnæ quãtitatis meliores esse, cuius verba sic habent.

[Et albæ quidem sunt meliores, & propriè, quando sunt pauci numeri, magnæ quantitatis, facilis exitus, paucæ angustiæ, debilis febris & cet.

Vbi ex diametro pugnare videtur cum Aëtij sententia, qui maiores dicit esse deteriores, & hîc Auicenna inquit magnæ quantitatis meliores esse: verùm res dubitationem nullam habere videbitur, si dicas Auicennam intellexisse variolas, scilicet magnæ quantitatis, meliores esse, eò quòd per illas plurimùm succi nequã, ac excremẽtitij sanguinis vacuatur. Aëtius tamẽ, cùm animaduerterit maiores illas pustulas, argumenti esse posse corporis plurimùm redundantis, & admodum praui, ac ferè pestilentis, meritò credit, deteriores maiores esse quàm minores, habita ratione ad corporis praui humoris redundantis plenitudinẽ.

Sumitur etiam exanthematum malignitas, ac bonitas, ab ipsius mali specie, anni tempestate, et ab ægrotãtis viribus, & à victus ipsius ratione, à ventris etiã duritie ac mollitie, quæ enim succedunt aluo suppressa aut moderatas egestiones faciente, bonæ sunt: quæ

verò fluente aluo, & vomitibus vexantibus fiunt malæ. Solent enim interire qui hoc malo capiuntur propter virtutis debilitatem cum raſura inteſtinorum, et ventris fluxu, mictus etiam ſanguinis, ſatis lætale eſt inditium, quod pueris nõ ſemel eueniſſe vidimus, quos morituros eſſe prædiximus: vt, dum hæc ſcribebam, cuidam cerdonis filio ſeptem annorum nato contigit, cui medendum accerſitus ſum, iam ſeptem diebus elapſis ab ægritudine, quem cùm vidiſſem per totam faciem, pectus, & ventriculũ puſtulis quibuſdam plumbei coloris infectum, ac fœtore iam oppreſſum, nec dubitaui profectò, quin de illius vita actum eſſe iam coram omnibus prædicerem: acceßit tunc ad me quidam ex domeſticis, qui me audiuerat, qua inquiens coniectura duceris, quòd hunc puerum moriturum præſagias? tunc ego illi, ex colore illo plumbeo variolarum, & ex fœtore, & imbecillitate virtutis, quæ omnia apud medicinæ auctores mortis ſunt ſigna: verùm, lætalius ſignum eſt ſanguinea vrina: tunc ille reſpondens, pueri infelicis ecce vrinam ſanguineam, immo ſanguinem ipſum. Et hactenus de variolarum ſignis.

Curandi tamen ratio, aut variolis apparentibus adhibetur, antequàm erumpant, eaq; primò parari debet, victu ſcilicet tenui parùm refrigerãte, & humorum motum prohibente, aëre etiam parùm frigido, frigido etiam cibo, nec pleniori, nec (vt Paulus Aegineta ait lib.1.cap.6.) nimis tenui, vt eſt ptyſanæ cremor, amygdalatũ, ſuccus malorum granatorum acredulcium, lentes, iuiubæ, vtiles ſunt, vt alibi abundè diximus. Pyra, & poma, & citonia aſſata, etiam conceduntur. Potus ſit aqua lentium bis coctarum, aut

iu-

iuiubarum, aut caricarum, aut fœniculi decoctum. Curatio igitur auspicabitur à venæ sectione, si ætas, vires & tempus tulerint: verùm solet hoc malum magis pueros, quàm prouectioris ætatis alios inuadere: tutius esse consulo, si sanguis mittatur per scarificationem crurum ac brachiorum: solet enim in hoc affectu mirificè prodeße, hoc auxilij genus, modò tamen fiat in principio, antequàm videlicet exanthemata egrediantur, iamq; foràs erumpant: posteà verò verenda est sanguinis mißio, quoniam, non modò quod bonum est, educitur, sed quod vitiatum est, ad interiora reuellitur: vt ex Aëtij sentētia non minùs doctè, quàm eleganter scripsit Antonius Fumanellus in sermone suo de Pestis curatione cap. 8. Verùm nec mihi multùm persuaderi potest, quo pacto venæ sectio humores ad interiora agat, sicut hîc, etiam aliàs à me dubitatum est, cùm videam Galenum, cuius auctoritas ab omnibus multùm fieri debet, qui huic ferè sentētiæ pugnare videtur lib. 4. de Sanitate tuenda, ita habet.

[Etenim venæ sectio sanguinem quidem bonum euacuat, nec verò qui in venis primis potißimùm colligitur, quæ circa hepar, & mesenterium sunt, in corpus extrahit totū.] Quo loco videtur Galenus innuere, sanguinem scilicet, à centro ad circūferentiam, secta vena moueri, id est, ab interioribus corporis partibus ad exteriores petere. Discruciet se quantùm velit Auicennas qui negat in cura variolarum sanguinē esse mittēdum, cùm iam egrediūtur, propterea quòd, secundum illius sententiam, phlebotomia ad diuersum trahit, & naturam secundum plurimùm retinet: quod licet, aliquo modo verum esse crediderim, tamē

ad

ad variolarum curationē minimò referre debet, cùm maior certè comparetur vtilitas, si sanguis mittatur exanthematis erumpentibus quàm sit incommodi, ex illorum retentione: & quāuis enim, Hipp. teste Aphoris. 20. primi libri, aliquibus irritamentis, hoc est præsidij venæ sectione, videlicet, clysmis, aut vomitibus humores mouendi non sunt, quos natura suis temporibus expellere nititur: locum tamen hæc sententia in variolis non habet, quoniam hoc loco loquitur Hipp. de Iudicio vniuersali vniuscuiusque ægritudinis, vbi à natura, cùm potens est, superatur, nihilq; relictum est: quod integrè Hipp. ἀρτίως dixit, sufficienter & perfectè, quod ab illo deuictum, & euacuatum non fuerit. In exanthematum tamen egreßione, licet aliquo modo per viam criseos contingant: contingit etiā sæpenumerò, vt non sufficienter, nec plenè egrediantur ab intimis corporis partibus ad extimas vsque, sed aliquid sit etiā relictum à natura quod vix foris educere potens fuerat, quod à medico vacuandum suadet Galenus lib. I. de Diebus iudicatorijs. Verum, quando hîc iam occasio tulit, vt huic commentario inseram difficultatem quandam de sanguinis mißione per crurum & brachiorum scarificationem, quæ à me coram medicis non postremæ notæ fuit agitata, non esse scilicet pueris exercēdam sanguinis mißionem per scarificationem brachiorum, & crurum: sanguis enim ille qui per illā educitur, subtilis admodum est, eò quòd à minutißimis venis, quas capillares appellant, vacuatur: non tamen qui crassius & fœculentus est, quem in variolarum curatione vacuari opus est, cùm secūdum eiusdem Auicennæ sententiam, variolæ generantur,

aut ex menstruali nutrimento, aut ex cibis fœculentis, qui crassum admodum sanguinem efficiunt in pueris, eumq; in venis magnis non paruis inesse certum est, qui vt vacuetur, eas scindere oportet, non tamen paruas venas: venæ enim sectio in pueris meritò prohibetur, scarificatio autem, vt ostensum à nobis est, minimè conuenit, sed hæc parerga sunt. Præter sanguinis mißionis remedium, ad integram exanthematũ curationem, vti oportet etiam ventris lenitione clysmis videlicet, & suppositorijs, deinde caßia fistulari, & manna, & alijs medicamentis, quæ benedicta dicuntur, quorum vorandi normam scribendam superfluum esse existimo, cùm pro ætatis ratione, & virium & humoris quantitate præparari possunt medicamenta. Ad hæc cùm exanthemata erumpunt, diligenter admodum innitendum est, vt aër euitetur frigidus, & eligatur calidus, ne frigiditas cursum naturæ impediat, condensando videlicet cutim: frigus enim, inquit Auicennas, oppilat poros, & redire facit materias retro. Consulo tamen non ob id multis tegumentis infantum corpora ita esse munienda, vt præ nimio calore eorum febris augeatur, aut, quod fieri solet, grauia incurrunt pericula: esse tamen ad ignem calidis vnguentis inungendos, ac calida lauandos docet Hipp. lib. 6. Morborum vulgarium partic. secunda cap. 18. his verbis. [Latæ pustulæ quales hieme Simon habuit, non admodum pruriunt: hic certè cùm ad ignẽ inungeretur, vel calida lauaretur, iuuabatur, vomitiones non expediebant, puto vtique cum qui calidis largiter fouisset, prodesse potuisse.] Quo loco, in illis vltimis verbis. (Prodesse potuisse) sua (qua so-

let breuitate, cui profectò nihil deest) Hipp. ostendit, non in omnibus semper conducere calidorũ vsum, sed ijs, qui iam vacuati fuerunt. Pustulis verò quæ pleno corpore exoriuntur, si quis calidis mederi voluerit, attrahet potiùs quàm per cutim euacuet: quò fit, vt priùs sanguinis mißione medendum sit, vt superiùs docuimus, quàm calorificis medicamentis vtamur.

Quod si variolæ præ succi multitudine, aut expultricis facultatis imbecillitate, foras non bene erumpãt (quod multorum periculo fieri solet) vltra venæ sectionem, & alia quæ superiùs proposuimus auxilia, decoctum etiam hoc propinamus, quod educendi ad cutem humores vim habet. Cuius descriptio hæc est.

℞. Caricarum num. 10.
Seminis Fœniculi
Seminis Anisi
Apij, Laccæ. } añ. drach. ij.
Lentium decorticarum vnc. ij.
Iuiubarum sine nucleis. num. xv.
Dragaganthi
Rosarum
Sandalorum
Seminis Citoniorum. } añ. drach. ij.

Decoquantur omnia in iusta aquæ quantitate: postea coletur, & fiat decoctum, cui adde croci in puluerem redacti drach. ß. cuius potest sumi interdiu, & noctu, quantitas quã libuerit. Quod tamen decoctũ illud lentium decorticatarum & dragacãthi, & laccæ scriptum ab Auicenna, ab Aloysio Mundella Brixiensi medico, in epistola sua Iulio Burellæ scripta, nõ laudetur: curam non habeo, quòd meliùs sentire debeam

beam de Auicennæ, Arabumq; omnium eruditione in medicamentis componendis, qua in re, me iudice, multos Græcorum antecellunt, quàm medici cuiusdã quamuis non vulgaris: accedit etiam quòd lentes decorticatæ, dragaganthum, & lacca non habeant obstruendi facultatem illam quam ille secundũ Hipp. & Galeni sententiam illis tribuit, quod demonstratum à nobis est in excusatione & erroris expulsione Auicennæ, quem errasse Brixiensis nititur ostendere.

Posteà verò, cùm exanthemata iam in saniem conuersa fuerint, desiccantibus medicamentis opus est, idq; moliri oportet, si priùs instrumento aliquo videlicet acu aurea aut argentea aperiantur, tamen sanies humida, aut aquosa, incocta non fuerit, tunc propter acrimoniam, & humorum virulentiam, vt illorum virus exhalet, diligentiùs id facere oportet, si tamen sanies, spissa, & alba, cõcoctaq; fuerit, minimè tum tẽporis aperienda esse consuluerim, quòd in illis in quibus sanies sic optima est, multò meliùs carnem subcrescere, nullumq; vestigium reliquisse multorum experimentis animaduerti. Verùm si cicatrix, aut vestigium aliquod vt dicitur relictum esse, hoc sequenti medicamento optimè curabitur, quod recipit.

Pulueris Borracis.	drach.	j.
Oßis Sepie.	drach.	ß.
Salis Indi.	vnc.	ß.

Mellis quod satis est ad æquam spißitudinem, quod sæpè admouere oportet illis maculis, & posteà a tribus horis, faciem lauare aqua destilationis florum fabarum, serpentariæ, & rosarum & herbæ saponariæ, & medullæ duorum limonum, quæ præstantißima ad-

mo-

modum est, quod omnes cicatrices tollunt, ac emendant, faciemq; nitidissimam reddunt. Vnguentum citrinum nostræ descriptionis (cuius meminimus in quibusdam nostris vernaculè scriptis receptulis) non solùm in curandis varialarum cicatricibus, verùm inter omnia (quæ commetica dicuntur medicamenta) primatum habere, iam nobilium multarũ fœminarum vsu, experti sumus. Sunt præter hæc, alia multa ab auctoribus scripta, quæ lubens hic præterire volui, quòd tibi fortè, lector amice, priùs nota fuerunt, quòd etiam mihi in hoc scribendo commentario animus non fuerit, vt te prolixi sermonis tædio afficerem, sed potiùs, quando eruditione non possum, breuitate saltem cõplacerem. Vale.

Sinum cordis sinistrum, dextro calidiorem esse contra Aristotelem. CAP. VI.



OR Græcis καρδία, caloris naturalis origo ac fons, in medio thoracis collocatum est, vt æqualiter à pulmone aërem recipiat, inuoluitur quadam membrana Græcè pericardio dicta, in qua serosus quidam humor collectus, aliquando πάλμον, id est, palpitationem excitare consueuit. Habet carnem duram, & vix patibilem, & vario fibrarum genere compositam, quibus duplex cordis motus inest naturalis: fibris enim laxis ac deductis, cor dilatatur, vt aërem & spiritus ex pulmone per arteriam venosam, in sinistrum ventriculum attrahat ad sui refrigerationem, quod non

satis est, ad quorundam peripateticorum sententiam profligandam, qui Aristot. tantùm tribuere volunt, vt illis sufficiat illius auctoritas solùm, vt certam & indubitatam (posthabita aliorum, quamuis certior & indubitatior sit) eiusdem habeant sententiã: nec enim sibi hominem Arist. fuisse persuadent, sed veluti numen quoddam, illum venerantur, vt impium sit apud illos, ab illius placitis tantillum discedere. Ego tamen Aristotelem tanti facio, vt summum philosophum inter omnes verè affirmem, qui obstrusas rerum caussas acutißimè & verißimè inuestigauerit, cuius scripta grauitate, eruditione, & mira suauitate plena, omnia deniq; aurea sunt: vnde à Cicerone non immeritò, aureum flumen appellatur. At, sicut tantoperè illũ libenter laudo, ita mortalem fuisse credo, quem multa latere poterant. Non enim solùm ad tot, tamq; varia disciplinarum genera, variasq; rerũ caussas vnius hominis satis erat ingeniũ, immo plura alijs disserẽda relicta sunt, quæ minimè Arist. assequi potuit, inter quæ, præter alia multa, illud est, quòd scilicet neruos à corde, nõ à cerebro originẽ habere dicat, quod à veritate alienißimũ esse Galenus efficacißimè ostẽdit, & ob id nos sedulò omittimus, tamen alium errorẽ hîc ostẽdamus, qui ab Arist. 3. lib. de Partib. animalium in hunc modum habet. [Dextrum plurimùm sanguinis & calidißimum continet, quamobrem pars dextra calidior: sinister parum, idq; frigidißimum.] Quo loco manifestè Arist. ostendit dextrum cordis ventriculum, sinistro calidiorem esse: cuius errorem non solùm nos, verùm Monachus Trusianus acutißimè redarguit, quoniam licet sanguis dextri ventriculus sit

plu-

plurimus, non tamen calidior. Sanguis enim fusus per venam chilis ab hepate, in ipsum nondum consequutus ultimam concoctionem, ita appellare licet, quæ est in corde, non potest esse vehementis caloris: sed cùm peruenerit in sinistrum cordis, & arterias quæ ab eo oriuntur, calidior est valdè, ex moræ etiam longitudine in corde, per reuolutionem sanguinis in transitibus ipsius: præterea, quia non sunt manifesti meatus à dextro in sinistrum, vt auctor est Gal. 7. lib. de Vsu part. cap. vltimo, impoßibile fuit sanguinem ad ipsum penetrare, nisi multum subtilem, & naturæ spiritus accommodum. Quod & experimento satis constat, cui non parùm auctoritatis in his rebus tribuere debemus, quòd sensu deprendimus calidiorem esse cordis sinum sinistrum ipso dextro, idq; Galen. optimus harũ rerũ obseruator, ostẽdit lib. 2. de Temperamẽt. ita inquiens. [Quo etiam sensu clarè deprehendas, licet, in pectoris animalis dissectione, si digitum in sinistrum eius sinum immiseris: inuenies locum hunc omnium quæ in animali sunt, non paulò calidißimum.] Quam sententiam etiam repetit libello de Inæquali intemperie, his verbis. [Si viuo adhuc animante, nec adhuc febre tentato, demittere digitum velis: vehementißimum deprehendes calorẽ, quò magis verisimile est, vbi totum corpus præter naturam incalescit, hunc maximè sinum ad summum peruenire caloris: quippe cùm tenuißimum, maximeq; spirituosum sanguinem habeat, ac moueatur perpetuò.

Quòd tamẽ sensu tactus deprehendatur cordis sinistrũ ventriculum calidiorẽ esse, nec à ratione alienũ est, cùm sensus tactus calidi & frigidi corporis in

dex ſit, auctore Galen. 2. lib. de Temperamẽtis. Quòd etiam calidißimus ſit, bifariam monſtratur: quòd ſcilicet tenuißimum ſanguinem contineat, & moueatur perpetuò. Nec tamen hinc tibi perſuadeas motum hũc calorem excitare, vt Leonardus Fuchſius, cuius ſcripta licet noſtris prohibita ſint, de licentia tamen Reuerendi patris F. Franciſci Foreri habere licuit deleto auctoris titulo in ſuis commẽt. lib. Gal. de Inæquali intemperie arbitratus eſt, ſed quòd calidißimus eſt ventriculus cordis ſiniſter, eò mouetur perpetuò, vt videlicet motu illo, quem pulſum appellamus, refrigeretur, argumentum enim magni caloris eſt ipſe motus, dependet enim quædam natiui caloris conſeruatio, tum quadam refrigeratione, quæ inſpirationi & diaſtoli ſuccedit, tum fuliginoſarum ſuperfluitatum excretione, quam & expiratio, & pulſus ſiſtole ſeu contractio procurat. Calor enim cordis ignis eſt quidam, vt auctor eſt Hipp. lib. de Corde. Is ne marceſcat, aut extinguatur, perpetuò ventilationis motu opus habet. Non parua igitur eſt reſpirationis & pulſus vtilitas, conueniunt tamen reſpiratio & pulſus, vt Galenus in lib. de Vſu pulſuum docet, quòd calorem vterq; naturalẽ, tã perflãdo quàm ventilãdo refrigeret, refrigerãdo tẽperet, tẽperando conſeruet, pulſus quidẽ dilatatione: reſpiratio verò inſpiratione, tũ fuliginoſa excrementa expurget, reſpiratio expiratione, pulſus contractione, cuiuſmodi namq; inſtrumentis reſpirationis res eſt inſpiratio, eiuſmodi cordi & arterijs eſt dilatatio, & cuiuſmodi his eſt contractio, eiuſmodi illis eſt ſpiritus emißio. Hoc autem differũt, quòd reſpiratio à ſola manet facultate animali,

pulsus verò à vitali. Hæc libuit adijcere, vt animos illorum, qui in Galeni lectionem propensi sunt, demulcerem, & vt Brachelium acutißimi sanè ingenij virum à Leonardi Fuchsij defenderem calumnijs, qui mirum est profectò, quàm acerbè, & contumeliosè illum lacessat, eò quòd dicat cordis sinum sinistrum propter illum motum perpetuum frigidũ potiùs quàm calidum esse iudicandum, quo nihil verius esse crediderim. Brachelius tamen, qui rectè didicit motum illum cordis sinistri ventriculi, refrigerare illum potiùs quàm calefacere: non erubuit iterum eandem fateri sententiam in epistola quadam ad Iacobum Sauuagium, vbi modestè, & non sine grauitate conuitijs respondet Leonardi Fuchsij. Verùm, quamuis frigidum esse sinum cordis sinistrum à nobis dicatur, non tamen inde statim nos calumnieris, qui hucusq;, tantopere probare nixi sumus aduersus Arist. calidiorem esse dextro: non enim dicimus frigidum esse sinistrum cordis ventriculum, quòd credamus frigiditatem illam minorem esse, quàm frigiditatem ipsius sinus dextri, quæ multò minor est quàm frigiditas ipsius sinistri vẽtriculi, si aliqua esse potest, illam tamen referre oportet ad suijpsius vehementißimum calorem, non tamen ad frigiditatem dextri ventriculi cordis, qui suapte natura frigidior est. Dic etiam, quòd dicimus motu illo perpetuo cordis ventriculum sinistrum frigidum fieri, hoc est ventilatione illa, quodammodo temperatius reddi, quo quidem ventilatione non solùm cordis sinistra pars frigesit, verùm & ipsum totum cor, quamuis tamen, propter continuum motum vẽtriculus sinister, ipse magis refrigeratur, eoq; quòd

calidior est perpetuò mouetur, vt, scilicet illo motu refrigeretur, ac contemperetur, vt superiùs diximus.

Expositio loci Auicennæ de carne Perdicis expositi per Galenum. CAP. VII.


LEGENTI mihi præteritis diebus Arabem Auicēnam Fen.10.3. tract. 3. de Cura sputi sanguinis, occurrit difficultas, de perdicis carne, quam ipse fatetur eo loco, pauci esse sanguinis, cùm in confesso sit apud omnes perdicis carnem multi & optimi esse nutrimenti. Sunt enim quædam nutrimenta, quæ licet boni succi sint, vtile tamen quod habent, exiguum est: alia verò, quæ multum habent quod vtile est, & minimum quod inutile est ad nutritionem: cuiusmodi est perdicis caro, quæ omnium volucrum prorsus primas habet, Galeno auctore lib.8. de Morbis curandis cap.2. in hunc modum. [Ex volatilibus autem, optimi sunt perdices, ac montani omnes passeres. Ab his gallinacei, & phasiani, & iuuenes columbæ.] Verùm, quamuis in Auicennam eo animo semper fuerim, vt illum semper accusem, cùm aliud à Galeni sentētia scripsisse senserim. Quid enim stercus relictis margaritis colligam? Quid aquam, ex fœtidis lacūnis non ex purißimis fontibus exhauriam? in hoc tamen loco Auicennam non errasse Galeni etiam testimonio liquido, à nobis monstrabitur. Carnem igitur perdicis, pauci esse sanguinis, sicut volucrum, alia auium genera: est ita intelligendum, si ad genus greßilium referas: perdicem

dicem pauci ſanguinis eſſe, id eſt, pauci nutrimenti interpretandum eſt. Quis enim non videat nutrimentum ſanguinem eſſe? & nutrimentum ſemper ab eodē fieri? collatione ita facta, ad greßilium animalium genus: caro perdicis pauci ſanguinis eſt, cuius Galenus meminit lib. de Alimentorum facult. 3. cap 19. his verbis. [Auium porro omnium volucrium genus, paucißimum præſtat alimētum, ſi ad genus greßilium conferatur.] Ex quo loco Auicennæ ſententiā credimus emanaſſe, & per ſanguinem, paucum alimētum intellexiſſe. Nec enim aliud ſanguis eſt quàm noſtri corporis alimentum, quo viuimus & nutrimur, quod paßim Galenus tradit. Caro igitur perdicis, turturum, ac reliquarum volucrium, auium, ſi ad animalium greßilium genus conferatur, pauci ſanguinis eſt, id eſt, pauci alimenti. Qua interpretatione non requiras aliam meliorem. Hæc enim eſt vera Galeni mēs, & genuina Auicennæ loci interpretatio, nec aliud etiam ſignificare voluit, nec debuit, & ſi velit, illi haud profectò crederem. Ita enim de Auicennæ eruditione iudicare conſueui, vt ſi quid aliud præter Galeni placita ſcripſerit, nullam illi prorſùs fidem tribuā.

Tu tamē, ſtudioſe lector, qui optimas litteras ſcire cupis, ita Auicennæ dicta legas, vt cum magni Galeni ſcriptis ea conferas, quòd ſi ex diametro pugnent, Galenum colas, amplectaris, ac diligas. Auicennam ſpernas, reſpuas, ac execreris.

Commentarius de calculi renum curatione, ad humaniſsimum, & eruditiſsimum virum, D. Rodericum Sancium. CAP. VIII.

Cum



VM non multis abhinc diebus Roderice humanißime, Commentariū de renum calculi curatione ex veterum dictis, facere instituissem, dubius erā rem agerē, an potius ab illa animum diuerterē, idq; erat in caussa, quòd frustrà me scripturū timebā, vt de seipso Galen. dicebat. [Cùm nemo, inquit, propè dixerim, hac nostra ætate inquisitioni veritatis sit deditus: sed pecuniam, & ciuilem potentiam, & inexplicabiles voluptatum delitias omnes eousque subspiciant, vt si sapientiæ studium quoduis sectetur pro insano hunc habeāt.] creduntq; ridiculo habendum esse, qui relictis humanis voluptatibus, in litterarum studijs totā suam industriam collocarit, & quod plus dolēdum est, si quem norunt qui seposito arrogāti supercilio liberaliùs in litterarum studijs præclaris institutis, vitam omnem exercuerit, illum sæpè increpāt, quòd diu in illis disciplinis moratus sit, quasi verò nulla ob id illi vnquam sit comparanda vtilitas, nec ab hominibus reddenda laus. Pleriq; enim cùm sint qui nulla sanè boni viri habita ratione, per omne vitæ spatium acquirendæ solùm pecuniæ dediti, alieno periculo medicinam profitentur, illamq; ad quæstum trahentes, temporis compendia sequuntur. Hos videas ab hominibus nostri temporis amari, quòd illis ritu mancipiorum obtemperant, vt amicitiam & pretium conciliēt. Equorum cœtu, cùm alienißimus essem, statim mihi persuasi, nulla re magis, me tibi futurum esse carum, quam quòd libenter fatear te talem esse, qualē deceat tuam nobilem humanitatem, & raram eruditionem, quæ nō

fa-

facilè huic vulgari medicorum turbæ, fidem tribuit. Delectaris enim Roderice sapientißime, illa sapientißima veterum eruditione, quàm magni semper magno in pretio habuerunt: idq; facilè probo ex libris illis quos eruditißimos, & elegantißimos in singulis artibus habes, quorum lectioni vix vnquam parcis: eo enim ingenio natus es, vt nullum, aut paruum temporis momentum subterlabi sinas, in quo aliquid legas, scribas, aut deniq; te dignum (hoc est elegantissimum, aut sanctißimum) non mediteris. Rursus præter hoc laudabile exercitium, quo perpetuò occuparis, si quando, reficiendi animi gratia, aliò diuertis, per Pœoniæ amœnißima, ac saluberrima prata deambulas, ibiq; non aliter quàm per Adonidis hortulos spatiaris: quò fit, vt bonam habeam spem de meo hoc commentario, qui tibi non admodum est displiciturus, præsertim si credas meam in illo operam ob id me solùm collocasse, vt calculo tuo (quo sæpè vehementißimè cruciaris) auxiliarer: & vt saltem, aliqua ratione animum, studium, & voluntatem erga te meam declararem. Adeò enim humanitate tua deuinctus sum, vt meritißimo iure tibi meas vigilias omnes, & labores, & studia consacrare debuerim. Vale Pater humanißime, et diu viue, sana mēte, & corpore sano.

De Renum fabrica.

Vena caua quam propter magnitudinem (auctore Gal. lib. 16. de Vsu part. ita appellant) ex gibbis hepatis sursùm & deorsùm procedēs, in lumbos emergit, deinde in omnes vicinas partes, veluti in ramos sparsa diffunditur, huic vtrinq; accumbunt renes, quibus etiam alia duo vasa ex arteria magna, quæ à corde na-

nascitur, & spine incumbit, non aliter quàm venæ in renes inseruntur, quas venas & arterias appellant vulgares emulgentes, quòd per has οὖρον, id est, vrinam à sanguine secernant, & trahant. Nec id à natura temerè factum esse credēdum est, cùm renes quadam trahendi facultate præditi sint, quod luculentißimè docuit Galenus 1. lib. de Facult. naturalibus, in hunc modum. [Prorsùs enim, an per se ipsam fertur ad renes vrina, id scilicet meliùs rata, non aliter quàm nos cùm ad forum abimus: aut si hoc fieri non potest, alia quæpiam ferendæ eius inueniendą est caussa. Quæ igitur est ea? nisi enim sicut Hipp. censuit, renibus huiusmodi qualitatis trahendæ vim quandā dederis.] Præter id quòd vrinā attrahunt, etiam multùm bilis & sanguinis, quod scilicet in ipso est humidius ac tenuius, biliosi tamē excrementi quicquid non admodum crassum fuerit, per vrinarios ductus, in vesicam, quæ in fundo est, cum vrinis permeat: quò fit, vt vrinæ flauescant, sanguis verò ille, qui cum vrina attractus fuerat, carni renum, instar carnis fecis cuiusdam in halitum, in totam ipsam dispergitur, adhærescit, vnitur, ac alimentum fit renibus. Non tamen ita absolutè sanguinem hunc alimentum esse renum, non enim sanguine solo nutriuntur, sed illo quod vtile est in sanguine.

Dexter ren in omnibus ferè animalibus læuo altior est, nec immeritò id quidem, vt scilicet in opere magis expeditè ipse directè ex oppositis attrahere posset ex iocinore, cuius gratia ambo facti sunt Galeno teste, libro de Fœtuum formatione.

[Ob iecur, inquit, renes & vesicæ duæ factæ sunt, sini-

ſiniſter propter lienis attractionem inferior eſſe debuit, ne cùm dexter traheret, ipſe retraheret.] Quod Auicennas ſignificare voluit Fen. 18. 3. tract. 1. capite primo, his verbis. [*Et poſitus eſt ren dextra ſupra ſiniſtrum, vt ſit magis propinquus hepati, & magis trahens ab ipſo quantùm poſſibile eſt, ita fortaſſe vt tangat ipſum, immo tangat additamentum quod ſequitur ipſum. Et poſitus eſt ſiniſter deſcendens: quoniam comprehenſio fit in latere ſiniſtro à ſplene, & vt illud quod attrahitur ex aquoſitate, non attrahatur inter diuiſiones æquales, immo trahatur ad propinquius in primis, & ad longinquiùs in ſecundo.*] Ariſt. lib. 3. de Partib. animal. cap. 9. *aßignat aliam huius rei cauſſam, quam videant illi, qui in illius verba iurauerunt, quibus nec alia placent, quàm quæ* Ariſt. *placent. Natura item, duos renes loco vnius produxit, ne forſan, vno obturato & impedito, eius humoris ceſſaret profuſio, qui longè copioſißimus eſt in nobis. Nec defuit tamen qui vnicum ſolum haberet, qui tamen magnitudine duos æquabat: verùm cùm duo ſint, minores eſſe rationi accommodum eſt.*

Adhæc. *Sinus quidem, in quo vaſa plures in ramos diffunduntur, in vtroq; rene exiſtit membrana quadam circundatus, qua vrina diſtilat in alterum minorem ſinum, quem excipit alius meatus* οὐρητὴρ *Græcis dictus.* Lege Galen. *in fine* 6. *lib. de* Anatomi*cis adminiſt.* His *itaque habitis, quæ ad vſum noſtræ tractationis, non erant negligenda: iam opus eſt renum calculi ſignificationem, cauſſas, ſigna, & curationem explicemus.*

Præ-

Præter varios affectus, quibus renes cruciantur, peßimus morbus est λιθίασις, id est, calculosa paßio, qua frequentiùs grandioris ætatis homines, quàm pueri affliguntur, cuius sententiæ Aëtius auctor est sermon. 3. cap. 4. ita inquiens.

[Renum calculis homines prouectæ ætatis, magis quàm pueri apprehenduntur, quemadmodum vesicæ calculis pueri frequentiùs quàm ætate prouecti.] Ceterùm cùm caussa rei tractandæ cognoscitur, ipsa res non ignoratur: reliquũ igitur est, de lapidis caussa agamus, & à rebus externis docti, calculi renum caussam facilè intelligemus. Quemadmodum enim figulus ex luto vascula fingit, & posteà ad Solem desiccat, vel adeò igne decoquit, vt in lapidem indurata minimè diluantur, ita fit in renibus: generantur enim ibi ex crudis & viscidis succis, ab igneo calore lapilli, cuius exempli meminit Alexander Trallianus lib. 3. cap. 32. Arist. etiam aliud adducit exemplum de Vinorum fecibus lib. 3. de historia animalium cap. 15.

Verùm, hoc loco subijt dubium, si enim ex crudis humoribus, vt diximus oriuntur in renibus calculi, ijs apprehẽdi potiùs debent pueri, quàm prouectæ ætatis homines, quòd puerorum corpora propter ingluuiem (edaces enim sunt auctore Galeno. 5. de Placitis Hipp. & Plat.) nec considerant quantùm quidẽ esse debeat, quod sumendum est, quinetiam prius quàm cibus prior concoquatur, alium iam edunt: huic tamen obiectioni satisfecisset nemo, nisi puerorum corpora mollia essent, quæ facilè cedunt, eiusq; rei gratia obstructionem circa renes nòn patiuntur: quod Aëtius docuit sermone. 3. cap. 9. Has igitur internas

caussas

caussas calculi renum gignendi, aliæ sequūtur externæ, quas omnes numerabimus, vbi qualem victus rationem in hoc morbo obseruare oporteat, docuerimus. Notæ *& inditia, quibus apprehendimus renum calculos, hæc sunt, cùm scilicet accidit ægris magnus, acrisq; instar aculei infixi renibus dolor, sine tumore tamen foris apparente, spina vix flectitur, crus quod est è directo membri affecti stupet, idq; non ob aliud euenire creditur, quàm quia vena quæ ad inferiora demissa est, triplici ramo secatur, quorum vnus ad testiculos vadit, & ad vasa seminaria, alius renes ingreditur, tertius ad crura tendit. Cùm igitur in renibus lapis generatur, vnà afficitur vena quæ ad crura descendit: sunt enim ab vna sobole cauæ venæ, quā inferis partibus natura distribuit.* Igitur *vena quæ ad crura porrigitur, repletur, qua turgēte, cùm exstringuntur neruus, ac musculus, animalem spiritum ad crura non transmittit, vnde sensu crus priuatur ac stupescit.*

Porrò *etiam eo vitio affectis, quædam penis scalptura oritur, ac veluti titillatio, natura ab eo quod lædit stimulata, ideo spiritus occurrūt, quibus irrumpentibus in virile membrum, ipsum immaniter contendunt: in omni enim motione naturali sanguis & spiritus concurrunt, tanquam naturæ vehicula.* Vrinæ *circa obturationis initium paruæ & aquosæ minguntur: posteà verò perfecta earum suppressio contingit, aliàs nihil excernit, verùm promptitudines malas ad egerendum facit.*

Excernitur *aliquando sanguis propter violentiam angulosorum calculorum, qui proximas particulas vulnerāt, & cruorem euocant; ceterum, vbi calculus è renibus fuerit*

emotus, & ad vesicam delatus, vrinæ multæ prodeũt arenosam subsidentiam habentes, & aluus similiter longe egerit: quæ omnia signa vnà cum calculorum curatione Hipp. complectitur lib. Epidimiorum 6. Sect.1. sententia. 6. in hunc modum. [In Renem dolor grauis, cùm cibo impleti sunt, vomuntq; pituitam: cùm verò dolores abundauerint, eruginosa, & leuiores quidem euadunt, cùm cibis euacuati sunt, arenulæ rufæ subsident, & cruentum meiunt, stupor femoris è regione positi, quiescere non conducit, sed exerceri, non repleri. Iuuenes veratro purgare, poplitem incidere, vrinarijs mundare, tenuare, ac mollire.] Adhæc, calculosis ea instituenda est victus ratio, quæ morbum minimé augeat, immo salubrẽ reddat, qualis est quæ sequitur. Cauere oportet cibos duræ substantiæ, quiq; vix conteruntur edendo, item qui multæ substantiæ sunt, plurimumq; nutriũt, & qui aceruatim digeruntur, antequàm perfecté cõcoquantur, grauis item qualitatis, & qui difficulter commutantur, ac supernatãt, & per aluum subeunt, & inflant, & quæ etiam meatus obstruunt. Caueant à lacte, excepto asinino, caseo, butyro, à ferculis caseo confectis, & à dulcibus omnibus (quæ Græcis γλυκάσματα dicuntur.) Abstineat à leguminibus (excepto iure nigrorum cicerum, à duris ouis, à carnibus bubulis, suillis, & ceruinis, auiumq; palustrium. Nec cibũ nec potionẽ frigidam assumant. Abstinere deniq; cõuenit ab omnibus salsis, acribus, & acidis pomis, vt iubet Cornelius Cels. lib. 4. cap. 10. Vinum sit tenue & album, non multùm vetus: dulcia enim vina & nigra noxia sunt calculo affectis. Aqua sit purissima

ma & tepida, non tamen pluuialis, aut stagnans, paluſtrisúe, & decoquatur cum ſemine fœniculi, aut Aniſi. Deſidia prætereà fugienda eſt.. Dormiant temperatè, nec diu iaceant ſupini, hoc enim, teſte Auicenna) aliquando licet lapillo renum conſerat, auctore tamen Azarauio, ſæpenumerò nocet.

Interdicatur hoc morbo affectis penitus Veneris vſus. Panibus vtitor optimè fermentatis, & non inſipidis dũ vales. Verùm, ſi calculo acerrimè infeſteris, vti poteris pityrijs: quos furfuraceos appellat Gal. lib. 1. de Aliment. facult. cap. 2. Ex terreſtribus carnibus, arietinã, et hædinã edere poteris. Inter volucres eligantur gallinacei pulli, gallinæ, capi, columbi, qui optimi cenſentur, quos torquatos appellant, phaſiani, paſſerès, perdices, & auiculæ aliæ quæ in dumetis, & turribus degunt. Piſces ſaxatiles non ſunt inutiles, præcipuè muli, & gobij, & gamari, leones apud Plinium appellati, cancri & id genus alij, qui teſta cooperiuntur. Ceterùm, cùm lapis in renibus latitans acerrimos dolores efficit, & ſanguis multus, aut craſſus in venis abundauerit, iuxta Hipp. decretum loco citato, poplitis venam ſcindere oportet, ne forſan ſanguinis multitudo maximo illo dolore in particulam affectam incumbat. Nec credas Rhazæ, qui 10. lib. Continentis iubet baſilicam eſſe ſcindendam in lapide renum, ſi conijciamus illi futurum eſſe abceſſũ, quia in omni ægritudine, quæ infra iecur eſt, & venæ ſectione opus habet, ſecãda eſt vena cruris, non cubiti, quod magni Galeni præceptum eſt, commẽt. 9. lib. Hipp. de Morbis vulgarib. vbi inquit.

[Alias didiciſti membra ſupra iecur, cubiti venæ ſectio-

 ctio-

ctionem, postulare, infrà verò crurum: in poplitibus venas nobis scindentibus, aut omnino saltē iuxta malleolos.] Qua elegantißima sententia admonemur infra iecur venam cubiti non esse scindendam, sed poplitis. Verùm, cùm nostro tempore imperitia chirurgorum vena poplitis desijt scindi, fit iure vt vena tali scindatur. Vltrà, in hoc affectu purgare oportet, si antiquius sit, & ceu vectibus, vt ita dicam, extrudendus, quod commodè elleboro fieret, si liceret per mollitiem nostri temporis. Solet enim medicamētum illud adeò execrari, vt si quis doctus medicus illud propinauerit, carnificem statim illum, non medicum appellant. Verùm, caßia fistularis in decoctione glycyrrhizæ dissoluta, aluo soluēdæ optima est: Manna etiam, quod mel aëreum dicunt, in iure galli gallinacei non est incommoda, quamuis nonnulli illam vituperent, quòd flatus videlicet gignat, quòd & nos etiam experti aliquando sumus. Resinam terebinthinam septies in liquore rosaceo lotam, aut in aqua florum maluarum, quantitate vnius auellanæ sacchara inuolutam, aut etiam caßiæ fistularis recens extractæ. vnc. j. ß immixtam, mirum in modum prodesse experimento docti sumus. Quòd si ille, qui hoc morbo infestatur, vtroq; auxilio opus habet, purgatione scilicet, & venæ sectione: ab hac initiū sumere oportet. Verùm, si nec venæ sectionem, nec purgationem moliri debemus, ventrem per clysmum mouebimus, multum tamen cauendū erit, ne multæ quātitatis clysmus sit. Sic enim comprimere potest vrinarios ductus, si repleuerit admodum intestina: sed quòd excrementa solùm, quæ in illis contenta sunt, educere valeat,

cuius vsus sit hic, qui sequitur.

℞. Mercurialis
Parietariæ
Altheæ
Chamæmeli. } an̄. Manip. j.
Fœni græci
Seminis fœniculi
Anethi, Apij, Lini. } an̄. drach. iij.

Caricarum num. 7. quæ omnia in iusta aquæ quantitate bullire debent, posteà colari, & decoctioni colatæ 12. vnciarum, addi debent caßiæ fistularis electæ vnc. ij. Hieræ picræ. vnc. ß. oleorum anethini, rutacei, & chamæmelini an̄. vnc. j. salis quòd satis est.

Vbi igitur hoc auxilio aluus satis, ac sufficienter deiecerit, non inutile erit propinare aliquod vnguentum, quod meatus laxandi præditum sit facultate, in quem vsum vnicè proderit, hoc quod sequitur.

℞. Oleorum scorpion.
Chamæmellini
Anethini
Amygdalarum dulcium. } an̄. vnc. j.
Axungiæ gallinæ
Anseris
Pinguedinis cuniculi. } an̄. vnc. j. ß.
Mucilaginis seminis lini, Altheæ. an̄. vnc. j.
Croci, drach. ß. ceræ quod satis est. fiat vnguentum.

Non nulli probant aquam calidam cum oleo, tanquam præstans esse meatibus laxandis medicamētum, quòd & nos etiam probamus, cùm illius etiam auctor fuerit Nicolaus Alexandrinus medicus Græcus. Vltra lenitionem vnguenti prædicti, non abs re erit vti

insessionibus, ex decoctione pulegij, hyssopi, calaminthi, origani, balsamitæ, meliloti, anethi, camæmeli, & aliorum id genus. Ex prædictis etiam herbis parari possunt fomenta, quæ loco affecto admoueantur.

Nec negligendus etiam cataplasmatum vsus, ex farina fabacea, triticea, & seminis fœnugræci, apij, & ex cortice radicis sparragi in pollinem redacti, & omnia pistentur, & olei scorpionem æqua quantitate adiecta componantur in formam cataplasmatis. Si tamen his auxilijs non liberentur ægri, medicamentis lapidem conterentibus vtendum est, quæ ab auctoribus innumera paßim scripta sunt: selectiora tamen, quæ mihi probata sunt, iam sequuntur. Lapis Iudaicus, Bdellium, Milium Solis, Pulegium, Betonica, semina Ficuum, quæ omnia in puluerem reddantur, & ex illo sumat mane in vino albo, aut in decoctione fœniculi drach. j. Si adhuc lapis contumax fuerit, & in renibus deteneatur, calculus vesicæ feminæ si ad manum fuerit: mirifice proderit lapillo renum viri, si sumatur delutus in vino sicut superior puluis. Vti etiã poteris vrinam ducentibus medicamentis, quorum oceanus, vti diximus, est apud auctores: omnia tamen hic tradere animus non fuit. Sed ea solùm, quæ longo experimento compereram, mirificam vim habere ad hunc morbum, inter quæ radix fœniculi in vino albo cocta manducata apprime prodest. Puluis etiam fructus rosæ caninæ qui coralliorum rubeorum speciem refert summe laudari potest, quòd vim quandam mirificam habet conterendi calculi renum, cuius quantitas vnius drach. sumenda est in vino albo, summo mane, ieiuno ventriculo: quo modo etiam sumi debent ce

tera

tera medicamenta, quæ dantur conterendi calculi gratia. Medicamentorum tamen vrinam mouentium, non multum laudamus vsum, præsertim cùm patiens sine dolore est, immo consilio Alexandri Tralliani illum vituperamus. qui, [Non oportet, ait, his auxilijs infirmus vtatur cùm sine dolore est, ne, distemperata inueniantur renum loca.] Quò fit, vt frequentẽ Asparagorum vsum nec multum probemus, quamuis cõtra renum vitia valere scribat Dioscorides: tamen quia ob vim quam habent vrinam mouendi aliquando auctore Plinio lib. 20. cap. 10. vesicam exulcerant. Vsus post hæc cucurbitularum, si opus sit, negligendus non est: hæ enim sæpenumerò renibus affixæ, calculũ ipsum statim expellũt, ac in vesicam ducunt. Admoneo vltra hæc omnia, vt ne semper vno eodem medicamento vtaris, sed vnum ac alterum immutando, natura fortius operetur, ne perpetuò eidem medicamentorum vsui assueta, vix sentiat illorum facultatem in opere suo exigendo.
Hæc igitur sunt venerande pater, quæ mihi visa fuerunt vtilia morbo huic, quibus iam nostro commentario, non à paucis, vt audio, efflagitato finem imponerem, quem ob id scripsi, vt ostenderemus integerrimi animi erga te mei specimen, ac promptitudinem. Accipe ergo illum Roderice humanißime, quo faxit Deus minimè vnquam indigeas, sed per multos annos ita vitam incolumem ducas, vt nec vnquam tibi salus immutatum iri videatur, imò diutißimè idem ipse sis, hoc est humanißimus, peritißimus, & pientißimus, dicam etiam, valentißimus: itaq; fiet, vt is meus libellus potiùs thuri, & intinctibus seruetur, quam tuo mor-

ho vtilis sit futurus. Vale, & me dilige, ac Deo, quod tui moris est, frequenter commẽdato. Et iterum vale.

De facultate Salsæ Parrillæ, & eius exhibitionis vsu. CAP. IX.

SCRIPSERAM olim commentarium de Salsæ Parrillæ exhibitione, quòd videbam meo, & aliorum experimento, hoc nouum, ac veluti nobis cælitus datum medicamentum, non paucos innumeris morborum generibus affectos, in prosperam valetudinem reuocasse, vt apud omnes ferè, qui decoctum huius saluberrimæ plantæ biberunt, veluti manum Dei, vt Herophilus dicebat, illam esse affirmarent. Quocirca vt non paucis, quos hoc tam salutari auxilij genere iuuare possum meum laborem, ac operam, quod beneuoli hominis est, impenderem, diligentia qua potui, iterum commentario, quem composueram, non nulla addidi, non pauca immutaui: alia etiam quæ mihi longo postea huius plantæ vsu nota fuerunt, diuersa admodum esse à veritate comperi: decreui itaq; hunc facere cõmẽtarium, quamuis alium à me multi, qui illum me cõposuisse sciebãt, enixè efflagitabant. Verùm quia sperabã me hoc illos iuuaturum, quæ de alio sparsim scripta habebam, huic inserere volui, exordium sumens ab huius plantæ nomine. Salsa Parrilla, Sarça Parrilla, & Sparta Parrilla hæc planta vocatur. Verùm quanto errore sparta appelletur, ille intelliget: qui viderit ab Hispanis paruam morum non ita appel-

lari.

lari. Demus tamen ita esse, quam nam similitudinem inuenies habere cum hac nostra planta, aut nostram plantam cum illa, vt ob similitudinem, spartam, id est, morum paruam, vt vult Andreas Vesalius, appellemus? si specie minimè similis est, facultate fortè erit similis? nec id quidem, cùm nihil habeat morus commune cum illa, imò astringendi vi quadam prædita est, quòd ad fluxiones valeat, vt Diosc. auctor est lib. I. cap. 181. Nostra tamen planta aperiendi facultatem habet, quam facilè quis deprehendet ob sudoris ducendi vim. Non est igitur quòd hîc ampliùs immoremur illos calumniando, qui hanc plantam spartam vocant, quam nec salsam quidem appellandam esse arbitramur, sed Sarçam potiùs, hoc est, dumum. Dumus enim Hispanis Sarça est, & quia multi medici vulgari errore seducti, plantam quãdam Smilacem asperam dictam, spinosam quidem, & hederæ folia ferentem, Sarçam Parrillam dicunt, eaq; vtebantur ad omnia ferè, quibus illa quæ à Nouo orbe asportatur, dari solet, quæ nõ parùm Smilaci asperæ similis est, & ob id fortaßis Hispani cum Honduras loco prouinciæ Peru appulerunt, vbi hæc planta paßim nascitur, videntes plantam hanc ab Aspera Smilace differre parùm, quam ob spinas Sarçam, & ob folia, & racemos quos habebat, Parrillam appellauerũt. Accedit etiam nobilium quorundam testimonium, quæ illam regionẽ per decem annos incoluerunt, quos de hac re rogaui, qui mihi affirmarunt, proprio Indorum idiomate appellari spinosam vitem, quòd similis erat Smilaci Asperæ. Quod ad huius medicamenti facultatem attinet, nihil adhuc habeo pro certo quod affirmem,

nisi rationali ducar coniectura, cùm videam varios huius medicinæ effectus, alijs videlicet auxilium ferre, qui magna iecinoris inflammatione afficiuntur, quod propter frigiditatem facere certum est: quosdam etiam liberare, qui à veteri Cephalæa, à frigiditate ortum habente, capiuntur, idq; à calore euenire omnibus inconfesso est. Rursus experimur omnem intemperiem, quæ à quauis quatuor qualitatum oriatur, ita hāc nostram plantam in pristinum statum reduxisse, vt vix agnoscas, à qua qualitate manifesta id eueniat, quamuis enixè illam explorare velis. Coniectamus tamen, calidam esse quodammodò, ob vim quā habet aperiendi, & mouendi sudoris, quod à calore fieri docet Gal.1.de Simpl.medic.facult. Eam esse calidam secundo ordine dicimus, quòd eius decoctum, nullam, aut paruam alterationem efficit in corporibus, quibus illud propinamus, imò lene ac suaue est ventriculo, quæ manifestè, aut calefacere, aut frigefacere, aut humectare, aut desiccare possunt, ea secundi ordinis esse dicuntur: quæ tamē vehementer, nō tamē summè, tertij sunt, vt Lignū sanctum, Guaiacum dictum, & Radix chynæ, quæ duo quidem tertij ordinis calida esse ille fatebitur, qui experiri velit, magnas iecoris inflammationes eorum decoctionem sumentibus efficere excitant enim gutturis & ventriculi incendium, non nullis etiam morbo Gallico affectos, assumptione decoctionis Guaiaci in tabem incurrisse & experti sumus, & alios audiuimus expertos fuisse, quod non ob aliam rem quidem, quàm à nimio caloris excessu euenire certum est. Ex quo notamus Alphonsum Ferreum, Lignum sanctum multùm

admodùm extulisse, qui temperatum esse ait in libro suo, de ligni sancti exhibitione: vbi profectò mirum est, quàm inuersè locum Galeni 5. lib. de Simpl. medic. facult. citauerit, cùm ita dicat recitãs Galen. lectionẽ.

[Quæ sunt in 2. gradu complexionis, hæc, fieri potest vt calefaciant, vel refrigerent, aut humectent, aut exiccent, sine corporis læsione, aut molestia.]

Quæ cum his, quæ legeram apud eundem Gal. lõgè aliter habere visa sunt, quæ in hunc modum habent.

[Quæ verò manifestè, aut calefacere, aut frigefacere, aut humectare, aut desiccare possunt, ea secũdi ordinis dicuntur. Sed hæc, multaq; alia, quibus pleriq; recentiorum medicorum grauißimè hallucinantur, aliquando, si nostrum studij genus lectoribus non displicuerit, veris & grauißimis veterum medicorum testimonijs, falsa esse ostendemus. Radicem igitur, quamuis non desint qui dicant paruam esse, nos tamen illam vidimus recenter asportatum ex nouo orbe, quæ mensuram vnius libræ & dimidiæ pendebat, quæ non longa imò lata erat, ex qua multi stipites insurgebant, quos etiam vidimus magnitudinis sex cubitorum complicatos, & in fasciculos quosdam ligatos, ac complicatos, ob quod eam in sepibus nasci suspicamur, vt lupus salictarius, & smilax aspera, & vitis alba, quibus omnibus illam similem esse dices. Quæ quatuor notis probatur, lẽtore cùm frangitur, albore, & großitie, quæ enim großior est, optima cẽsetur, eaq; ex nouo orbe asportatur ex loco, qui dicitur Houduras, quam Hispalenses mercatores his quatuor notis emunt, vt posteà pluris vendant. Eligenda erit etiam, quæ recẽtior, nec carie, aut blatteis, squalore,

lore, aut putredine plena sit. Propinandi eius decocti ordo, apud Hispanos medicos varius est: quidam illud, vt decoctionem radicis chynæ, dare solent, credentes eandem esse vtriusq; vim ac vtilitatem, saporis argumẽto, quòd insipidæ ambæ sunt, quorum sententijs libenter accederem, nisi me experimentum doceret alium meliorem exhibendi modum, quem apud meos exercere soleo, quo non paucos morbis ferè lethalibus affectos, et omni spe salutis destitutos, in valetudinem prosperam reduxi: è quorum numero (nec me id piget narrare, vt amici lectoris animum, mira huius tam salutiferæ plantæ facultatis amore alliciã) nobilem matronam ex Castrorum familia, apud Lusitanos vehementißimo capitis dolore cruciatam, veluti ex Erebi faucibus reuocauimus: qui dolor per duos annos illam atrocißimè vexauerat, quiq; nullis medicorum auxilijs, qui plurimi ad illam, veluti vultures ad cadauer conuenerant, curari potuit: quæ etiam in tibia parùm superiùs, circulare & malignũ vlcus habebat, & sanatu ita contumax, vt vix cicatricem contrahere posset: ad illam cùm accesßissem, mirum est quot lacrymis à me petijt, vt huius nostræ plantæ, decoctum prõpinarem. Ego, inquit, iam prorsus omni vitæ spe destituta, nihil magis in votis habeo (vt nihil sit quod non experiar in hoc tam acerrimo morbo) quàm sumere huius, quæ circumfertur, salsæ parrillæ decoctum: spero enim tuo studio, & industria, quã audio de hac re te habere summam, Deo auspice, me conualituram: quam cùm ipse audirem, vt cum sermone etiam morbi deplorantem miserias, dolens illius ita miserrimam sortem, accepi statim illam

cu-

curandam, quæ ordine, quem illi instituebam, per triginta dies in pristinam sanitatē restituta est. Quanta hominum admiratione id contigerit, optimè sciri potest apud meos ciues, præsertim apud illos, qui nihili studiosis detrahere solent. Sed tempus exigit, vt ad nostri instituti rationem reuertamur: hoc est, ad nostræ plantæ exhibendæ ordinem. Eligitur igitur illa, quam superiùs depinximus, cuius vnciam & mediā in partes magnitudinis trium digitorum scindimus, posteà per medium findimus, & in vase testaceo, aut olla 12. librarum capaci, per noctem integrā maceramus, posteà lento igne decoquimus, donec tertia pars cōsumatur, & huius primi decocti tepidi mane vncias octo propinamus, vt per tres horas sudorē prouocemus, posteà vesperi eandem quantitatem damus, vt per idem spatium, sudorem faciamus. Fit etiā secundum decoctum ex ea Sarça, quæ priùs decocta fuit: eamq; in 16. libris aquæ iterum decoquimus, ad tertiæ etiam partis consumptionem, quam in prandio & cœna loco vini damus, eo tēporis spatio, quod satis est ad huius decocti assumptionem, quod 30. diebus absoluitur. Nec audiendi sunt, qui friuolis quibusdam rationibus, 16 diebus solùm, nostræ plantæ decoctionem solent offerre, credentes adeò calidam eße, vt si longiùs spatium interponatur in ea sumenda, non paucos caloris excessus inde gignendos fore: hi tamen, vt dixi, minimè audiendi sunt, cùm nec norint hanc plantam ita temperatam esse, vt nos illius decoctione solùm, febribus variolarum sæpißimè opitulati sumus: nec id sine ratione quidem, cùm subtilißimis constet partibus, calidis & siccis, quæ sudores

mirè

mirè educunt: quibus febres sæpè solui solent, vt de Guaiaco doctißimè annotauit Hieronymus Fracast. lib. 3. de Contagione cap. 5. Nec etiam audiendi sunt, qui volunt, vnciam vnam sufficere, quoniam cùm nullã manifestam efficiat noxã, nec alterationem in corpore, cur duplicem quantitatem non dabimus, quæ multò melius suum munus obibit? Nos etiam fecimus periculum vnius vnciæ, et ille qui sumpsit eius decocti debitam quantitatem parum sudauit: posteà adiecimus semiunciam, & experimento nouimus, optimè sudasse. Quod paßim contigit in omnibus, quibus propinare solemus, dictæ plantæ decoctum. Non tamen negamus pro ægritudinis ratione, pro ægrotantium habitu, & etiam pro temporis commoditate, variari posse Sarcæ Parrillæ quantitatem, quin immo & victus rationem permutare pro superius dictorum diuersitate, oportet. Verùm, cibaria quæ optimè conueniũt, eligenda sunt: quæ nec subtilia nimis sint, nec grossiora, quæ tamen facilè putrescunt, vitanda sunt: dura concoctu, viscosa, quæq; vrant, quod in sanguine est, vt lac, caseus, oua, fructus horæi & legumina, & pastaica omnia, suilla & taurina caro, & pisces, & id genus omnia, fugienda sunt. Verùm, pisces saxatiles suauitatis gratia interdum degustari possunt, ab his præsertim quibus prosternitur appetitus. Saxatiles intelligo, non fluuiatiles qui in saxosis locis fluuiorum aut fluminum degunt, & nascuntur, & capiuntur (vt hactenus medicorum vulgus existimauit) sed qui in petrosis maris Promontorijs, & vbi saxa sunt, delitescunt, ac pariunt, vt Galen. auctor est lib. 3. de Aliment. facult. cap. 28. cuius rei etiam nos alibi mentionem

tionem fecimus. Ex carnibus conueniunt arietes, hœdi, vituli, hinnuli, lepusculi. Ex auibus conducunt pulli gallinacei, gallinæ, capi, phasiani, attagines, perdices, turtures, pepiones, & auiculæ omnes quæ in turribus & dumetis degunt. Tamen, quia superiùs negauimus cibaria cōcoctu dura, hic non solum dura alimenta, sed etiam sicca, vt biscoctum panem, ex mensis illorum esse abdicanda, qui decoctum huius nostræ plantæ, & Guaiaci, & radicis chynæ sumūt: id enim semper mihi persuasum habui, vt crederē dādi bis cocti panis vsum prauū esse, si illum dare iubent vt magis exiccent: sed hæc exiccatio non est quam quærimus, quæ ex alimento fit, sed magis illam quæ fit circa humores, vt à medicamento: biscoctus autem panis quatenus alimentum membra exsiccat, quod nō querimus, quatenus autem medicamentum, quoniam ipse siccus est, & qualitate, & imbibitione potest verè exsiccare, sed humores nō transit hæc exsiccatio, nisi priùs sanguis ab alimento factus exiccet. Quare miramur neothericos ferè omnes, qui nimis abstrictè, in morbo Gallico curando, victum instituunt, cùm in exhibitione decocti Guaiaci, velut apud illos solēne sit, bis cocto pane perpetuò alant. Nos verò iam multis, qui grauibus morbi Gallici doloribus affecti erāt, panē minimè biscoctū, sed bene fermentatum, mediocriterq; subactū dedimus, in exhibitione Sinarū radicis, & feliciter admodū illis nostra victus ratio successit. Caueant igitur post hac, qui veræ medicinæ nomē profitētur biscocti panis vsum, ne qui tā atroci et graui morbi genere vexatos iuuare student, in non minora pericula incidere faciant, propter hunc bis

cocti

cocti panis exhibendi modū, qui & viscera obstruit, quod efficit, vt sæpenumerò in aquam intercutem incurratur, & sua siccitate intestinorum excrementa retineat, idq; non paruum nocumentum est in sanitatis tutela, & morborum curatione. Quòd ad somnum, vigiliam, laborem, & Venerem attinet, mediocritatem seruandam consulo ex Hipp. magni præcepto, qui dixit hæc omnia futura esse debere mediocria. De Veneris vsu, quia à non nullis morbo Gallico affectos prorsùs arcendos esse, cane peiùs & angue, iubetur, dicam quod sentio, quodq; longo experimento didici, Veneri aliquando indulgendum scilicet esse illis, qui morbo Gallico laborant, si à pituita ortum solùm habeat, quibus sanè Veneris vsus incommodus non est, imò prodest non parùm: quoniam morbis omnibus ortū à pituita habentibus Venus medela est, vt ait Hipp. 6. Epidimiorum particula 5. aph. 3. Idem etiam Aëtius refert lib. 3. cap. 8. Verùm, quia raro morbus Gallicus à sola pituita originem habet, quin etiam ab atra bile, & pituita, eo tēporis spatio quo Sarçæ nostræ decoctū damus Veneris vsum omnino negamus. De purgatione, quā in sumptione huius nostræ supradictæ plantæ opus habemus, parùm hîc dicā, cùm medico qui præsens fuerit, medicamēta quæ magis conueniant, eligenda sunt pro humorum qualitate, & ægrorum temperamento, & temporū commoditate, & ætatum ratione. Ego tamen, quosdam compono syrupos, qui ex betonica, hyssopo, calamentho, epithemo, fumoterra, sena, & buglossæ vtriusq; floribus, & melle, sacchario etiam, & agarico optimo constant: quorū vsu non paucos à morbo Gal

lico

lico iuuatos vidi, dummodo post sufficientem humorum cõcoctionem, catapotia septem fumi terræ, & nitri Alexandri, & fœtidarum in melle rosato formata deuorẽt. Quod si dolor capitis vexauerit, aut oculi malè habent, aut aures non rectè audiunt, quæ morbi Gallici signa esse solent, propinamus pilulas, quas cocchias dicunt. Si dolent artus, aggregatiuis, & ex lapide lazuli, & ex hermodactylis, artheticis, & Indis vtimur. His itaq; omnibus, vacuamus morbo Gallico affectos, quando videlicet Sarcæ Parrillæ decoctũ propinamus, idq; in principio, & medio etiã sumptionis tempore, eadem medicamenta damus, sed tamen medium quantitatis suprà dictæ pondus sufficit. In fine etiam nonnullos purgare oportet, eos videlicet, qui adhuc prauis succis abũdare videantur, quiq; nõ sufficiẽter alijs assumptis pharmacis purgati sunt.

Si tamen aliquis iecoris dolor, aut inflammatio, quæ non rarò solet euenire decoctum nostrum sumentibus, non tamen propter eius calorem, sed propter cooperimenta, & stragula, quibus ad sudorem prouocandũ vti opus est, quæq; calorem etiam prouocare solent, non parum iuuabuntur, si illis arteriam dextræ manus, quæ inter indicem & pollicem sita est, secuerimus, quod in dolore iecoris non parum valere Galenus auctor est, in fine libri de Ratione curandi per sanguinis mißionem, vbi se monitum fuisse somno quodam ait, his verbis. [Monitus per quædam insomnia, quorum duo præcipuè mihi visa sunt, acceßi ad dextræ manus arteriam, inter indicem & pollicem sitam, siniq; fluere donec spontè sanguis resisteret, nam ita somnium præceperat. Effluxit autem

non tota libra. Subitò itaq; diuturnus extinctus dolor est in illa maximè parte fixus, qua iecur septo transuerso committitur.] At de venæ sectione illa, quæ fit inter digitum minimum & annularem dextræ manus, vt sentiunt Gentilis Fulginas, & Iacobus cognomento de Partibus apud Auicennam, & communis medicorum vsus: adhuc non inueni, nec legi auctorem fide dignum præter Arabem Rhasium, qui hanc venam in calidis iocinoris affectibus esse scindendam iusserit. Verùm, qui vsu solùm auctore, nec alia alicuius momenti, quàm Rhazæ auctoritate, hanc sententiam tueri voluerit, eligat quod magis sibi ex animi sententia videatur. Mihi verò ita semper medicinæ opus exigendum est, vt libenter fatear me palàm errare, si auctoritate, aut consilio alicuius præclari in medicina viri, (nec vllum vnquam Arabem intelligo) mea non suffulciatur sententia.

Conciliatio locorum Galeni pugnantium de calore sanguinis, & bilis. CAP. X.



IAM dudum institueram, ita obiter annotare, quæ mihi in lectionibus Galeni occurrebant: verùm, cùm apud illum multa sint, quæ adeò obscura sunt, vt diligentißima speculatione indigeant, rationem instituti mutaui, & studiosiùs eius sententias, quod ex me erit, examinare mihi visum fuit. Habet enim non pauca longè quidem difficillima, nō nulla sibi inuicem pugnantia, alia etiam quæ videntur contrariam habere

sen-

ſententiam: hinc eſt, vt non niſi qui lumine, & ingenij dexteritate præſtant, quiq; veris philoſophiæ ſtudijs inſtructi ſunt, illum diligenter amplectuntur, reliqui verò, qui hebeti & rudi ingenio nati ſunt, illum odio habent, quòd parùm aſſequi poſſunt præclaram, ac ferè diuinam eius doctrinam, quibus ſi ſatisfacere velim, meam operam omnem perdidiſſe crederem. Verùm ſicut hos nebulones vehementer abhorreo, ita illos, in quorum gratiam, ac amorem, meum hunc laborem libenter ſubeo, ardenter amo. Ne tamē candide lector hoc ſolummodò verbotenus dictum eſſe existimes, duos Galeni locos inuicem diſtantes, per me in concordiam redactos de calore ſcilicet ſanguinis et bilis, legas velim, in quorum examine non pauca adducemus breuiter, quæ fortaßis non diſplicebunt. Galenus igitur, libro de Inæquali intēperie cap. 5. calidißimam flauam bilem, ſanguinem verò poſt illam maximè eſſe calidam, his verbis pronuntiauit. [Calidißima natura meritò eſt flaua bilis: at frigidißima pituita eſt, reliquorum humorum ſanguis poſt flauam bilē maximè eſt calidus.] Qui locus ex diametro pugnare videtur cum alio, qui à Galeno in hunc modum ſcriptum legitur libro. 1. de Temperamētis capite vltimo. [Humidißimum, frigidißimumq; in corpore pituita eſt, calidißimum ſanguis.] In quorum locorum contradictione notamus ſanguinem non natura ipſa calidum eſſe, verùm calorem recipere aliunde, vt caleſcat, vt Hipp. inquit in libro de Corde, his verbis. [Sanguis non eſt natura calidus.] Caleſcit tamen, dum à iocinore elaboratus, per venam magnam cor petit, ibiq; ſuum accipit calorem quippe id viſcus

natura tum omnium animalis particularum maximè sanguineum, tum verò calidißimum est. Adhæc nec mirum videatur, si sanguinē non calidum affirmemus. Hoc enim à Galeni placitis nec alienum est, qui.1.cõment.lib.Hipp.de Natura humana ita scribit. At cõstat eadem etiam ratione, non calidum & humida debere dici sanguinem. His itaq; habitis, sanguinem calidiorem omnibus nostri corporis succis esse asserimus: omnibus inquam, qui aliunde calorem non aucupauerunt, qui tamē suapte natura calidi sunt, vt flaua bilis sanguine calidior est: bilis enim flaua ex substantia sua, ignea substantia constat: quò fit, vt omniū quæ in nostro corpore sunt, calidißimum sit. Sed vt faciliùs lectoribus innotescat superiorum locorum conciliatio. Dicimus Galenum loco 1.libri de Temperament.iam citato, ob id flauæ bilis non meminisse, quòd partes corporis illa non nutriantur: meminit namque solùm corporis partium & humorum, quibus partes nutriuntur, sanguinem itaq; calidißimum astruit, non simpliciter omniū quæ sunt in nostro corpore, sed omnium quæ simul humida sunt: quemadmodum etiam ibi cor calidißimum dicit, non quidem omnium, sed comparatione aliarum partium, non etiam humorum, idq; sensus tactus iudicio: tamen si eius substātiam spectes, hepar corde calidius iudicabis. Caro enim cordis dura est, & ex triplici nimirum fibrarum genere composita, hepatis verò est, veluti sanguis concretus. Loco autem alio lib. de Inæquali intemperie, bilem flauam simpliciter omnium quæ in nostro corpore sunt calidiorem esse, est intelligendum, substantia enim eius ignea est. Ex quo malè Auicenna

Fen,

Fen..1. 1.doctrina 4.tract.2.simpliciter dicit: [quod autem in corpore est calidius, est spiritus & cor à quo procedit.] Cor quidem calidißimum dicetur tactus iudicio, sed de spiritu id fateri falsum est. Spiritus enim omnium quæ in nostro corpore sunt, leuissimus & tenuißimus est, Galeno teste, lib.3.de Naturalib.facult.parùm ante finem, his verbis. [Est porrò omnium, quæ in corpore sunt leuißimus tenuißimusq; spiritus,] nõ igitur ex calidißimis cõstat partibus, sed ex tenui & ætherea substantia, insito calore perfusus: ex quibus omnibus manifestè ostenditur flauam bilem omnium quæ in corpore nostro sunt calidißimam esse, vt Gal.lib.de Inæquali intemperie voluit. Sanguinem item calidißimum esse omnium, scilicet quæ aliunde calorẽ accipiunt. Attamẽ, quibus hæc multùm nõ arriserint, peritiores legant commentarios, qui non deerunt quidem: præsertim cùm apud Gallos, Germanos, & Italos reperiantur doctißimi viri, qui veterem medicinam Hipp. videlicet & Galeni, ita venerati sunt, vt gratias illis immortales agere debeamus, quòd per illorum operam ac studium vera medicina suo nitori sit restituta.

Annotationes in cap.xxi. lib. ii. Galeni de Alimentorum facult. vbi cõmendatur malorũ esus cõtra nõnullos. CAP. XI.



IDEO *adhuc quosdam medicos ita Arabum præcepta adeò religiosè colere, vt transuersum, quod aiunt, vnguem discedere ab illorum dictis, nefas esse existiment: qui etiã quicquid dicunt, verius Apollinis Pythio esse*

credunt, quasi non nulla sint, nec veriora, nec probatiora ad veram medicinæ cognitionem, quàm quæ ab illis tradita sunt: quòd etiam ad morbos curandos attinet, arbitrantur illis primas esse tribuēdas, non Græcis medicis, qui non pauca quidem hominibus valdè perniciosa obtulerunt, vt est Helleborus, Esula, coccum Gnidium, & æris squama, et multa id genus etiā, quibus citra vllam rationem vtebantur, quæ omnia quàm execranda sint, vel eisdem auctoribus omnibus innotuit. Verùm, quod ad optimam victus rationem spectabat, à Græcis auctoribus inhumaniter, & perniciosè institutam esse, nemo est qui ignoret, cùm humana corpora in morbos lapsa, exquisitißima inedia, (quæ apud illos erat nihil dare) ita extenuabant, vt difficiliùs hanc victus rationem, quam morbum ipsum tolerare possent. Arabes verò nihil præter humanitatem agentes, vt vulgorum medicorum fert sermo, medicinæ præcepta ita docent, vt fragilitatis humanæ semper meminerint, quæ vix ferre potest illas Græcorum vitæ regulas, ac ferè lethalium medicamentorum vsus. Apud Arabes rursus, medicamenta quædam saluberrima, vitæ minimè incommoda sunt, quæ benedicta appellantur, vt Caßia fistularis, Manna, Tamar Indi, Mirobalani, Rhabarbarum, quorum vsum omni ætati, vtilem & nemini prorsus incommodum, multis experimentis notum esse nullus est qui nesciat: quorū sententiæ refragandæ, si hic mihi esset animus, ostenderem profectò quàm stulti sint, qui Arabum tantoperè venerantur decreta, quæ tot erroribus & mendis itaq; scatent. Si enim ad rectam curandi rationem spectes, nihil est quòd probes, nisi quod à Græcis trāslatum

latum est: si etiam ad morborũ præsidia compositaq; medicamenta respicias, nullum commodum inuenies, immo sæpè plùs mali sensisse ægrotantes intelliges. Propter medicamenta benedicta, quorum apud Arabes vsus est, non tantùm illis debemus, quantùm tempori, quo ad illos ex India, & Syria fuerunt asportata. Habuit enim semper vnaquæq; ætas aliquid, quod ad humanæ vitæ præsidium nonnihil emolumenti afferret, vt etiam nostris temporibus lignum Guaiacũ, radix Chinæ, Salsa Parrilla reperta fuerunt, quorum decoctiones homines à morbis deploratis liberasse, experimẽto nouimus. Sicut etiam sua tempora habuerunt Arabes, quibus veluti cælitùs tam saluberrima medicamenta fuerunt condonata, Græcorum æuo non defuerunt quàm plurima, quæ licet non ita optima, sicut apud Arabes, illis tamen, citra noxam vtebantur, & obseruata ponderũ ratione, multos vehementibus morbis oppressos sanitati restituerunt, vt ex Hipp. et Gal. scriptis liquidò apparet, quò fit, vt hac de re calumniandi non sint veteres Græci, quòd suo tempore vsi sunt medicamentis quæ morbis curandis minus vtilia erant, quàm quæ apud Arabes benedicta appellantur. Nostro tamen sæculo si fortiora quam ferre possent humana corpora esse videantur, aut ex soli mutatione, qua plantarum facultates mutari posse à medicis traditum est, aut ex imbecillitate hominum nostri temporis, quæ vix ferre potest illam effrenẽ medicamentorum vim, illud euenire credendum est. Non tamen est Hipp. aut Galeno vitio vertendum, apud quos magna fuerit in explorandis medicamentorum viribus, & eorum miscendorum ratione diligentia, quos

quos cùm Arabes imitantur, tunc minimè insaniunt, cùm verò ab illorum placitis aberrant, toto cælo aberrant, vt hac nostra in caput XXII. ij. libri Gal. de Aliment. facult. expositione ostendemus, vbi de malorum vsu contra illorum decreta ex Galeni sententia agemus. Assumpsi tamen hoc cap. exponendum, quòd (aliàs cùm mihi esset cōtētio cum quodam lurido sene, in Arabum verba iurante, qui ex illorum sententia malorum esum ita vituperabat, vt cane peius & pisce illum esse asserebat) sententiam Galeni adduxeram, qua malorum vsum in morbis commēdabam, quā, vt magis illum medicum, alios etiam eiusdem monetæ elingues redderem, me expositurum, & (vt in propatulo esset omnibus) etiam in lucem editurum cum alijs scriptis meis promisi. Quare (ne oratio abeat longius quàm par sit). Ipsius Galeni exponam orationem, quæ in huc modum habet. Genus horum non est simplex, quo modo nec pirorum nec punicorum.]

Cùm animaduerteret Galenus alimentorum facultatum cognitionem omnium, quæ in medicina sunt, vtilißimam quidem, & admodum necessariam esse, sine qua, nec in prospera nec aduersa valetudine quicquā possumus, quòd vtrique alimento opus est, operepræ tium esse existimauit, si illam tribus libris absoluisset, & plantarum, & animalium alimentorum vires, ac facultates experimento & ratione confirmatas exposuisset, cuius rei initiū à cerealibus vocatis seminibus sumpsit, à pane videlicet, inter illa omnium vtilissimo, quod primo libro finiuit: deinceps in 2. de Alimentis agit, quæ à plantis sumuntur, de fructibus fugacibus, quos Græci ὡραίους appellant, quòd ij fructus

eo tempore, in cuius medio canicula exoritur, quod quadraginta dierum est, constant: vt sunt Cucurbitæ, Pepones, Melopepones, Cucumeres, Ficus, Vuæ, Mora, Cerasia, Persica, Armeniaca, & Mala, quorum genus non esse simplex, sicut nec Pirorum nec Punicorum Galenus hic ait. Quo loco, eleganter quidem & rationabili quodam artificio, genus ipsum diuidit in differẽtias, genus inquam mali, in malum dulce, austerum, astringens, & acerbum. Nam propriarum & cõmunium significationum hæc vna est via inueniendi, vt idem ipse auctor est lib. 4. de Differẽtijs pulsuum. cap. 10. Vt acida appareant & dulcia, acerbitatisq; habeant non nihil.] Adiungit aliam differentiam malorum, quæ in se habẽt tres sapores, acidũ scilicet & dulcem, ac parùm acerbum, quod gustus sensu facilè iudicabis, & huic malorum differentiæ correspondẽt ea, quæ apud Belgas Puppins dicũtur: & ea quæ apud nostrates Baioneses appellãtur, hæc in mẽsis æquari cum camusijs, aut primas habere reor, quòd nec multùm astringant, nec tenuium sint partiũ, vt acida, nec calidiora, vt dulcia: sed mediam temperiem habeãt inter hos tres sapores, de quibus inferiùs verba faciemus. Ex IIII. de Simplicium pharmacorum facultate didicisti, in quo de Saporum substantia ac facultate tractauimus.] Galenus de Saporum substantia ac facultate lib. 4. de Simpl. medic. facult. cõpletissimè egit: ad cuius lectionem monet lectorem, vt animum conuertat, vt cognitis, quæ ibi traduntur de saporibus, facilè assequi poßit, quæ hoc loco ab illo etiã traduntur. Acerbum itaq; dicit cap. 8. terreũ et frigidũ esse, quod tripliciter necessario exoluitur,

vt incalescens, aut humescens, aut vtrumq; simul perpetiens. Itaq; si calescat dumtaxat, id nec humidius, nec mollius, sed durum manens, solam acquirit dulcedinem, velut robustæ glandes, ac potißimùm, quæ vocantur castaneæ. Sin tantum humescat, si quidem ea crassarum sit partium, & aquea humiditas, austerum euadet: cuiusq; enim saporis vires aquea retundit ac hebetat humiditas. Si verò aërea acescet, ostensum namq; est frigidum, subtile acidam efficere qualitatẽ. At si pariter & humescat, & calefiat, humiditate quidem aquea in dulcedinem aërea verò transibit in pinguedinem. Perspicuum ergo hinc iam euasit, quo pacto fructus principio acerbi cùm sint, processu temporis, quidam planè dulcescant, quidam acescant, non nulli sunt austeri, aliqui etiam acerbi permanẽt, tum quidam pingues reddantur.] Quæ rectè quidem acerbi, & austeri saporis facultatem ostendunt, nec meliorem inuenire poteris expositionẽ huius Galeni dictionis, quàm illam, quæ est apud eundẽ Galenũ.

His igitur vteris pro vincenti in saporibus facultate, austeris quidem pomis, cùm ventriculus vel propter calidam intemperiem, vel multam humiditatem fuerit imbecillus.] Poteram ex hoc loco, non nullos meritò calumniari, qui malorum vsum prorsus incommodum esse dicunt, quòd apud Arabes non probatur, quod Galeni testimonio falsum esse ostenditur, qui ventriculum calidum habentibus illorum esum austerorum videlicet vtilem esse docet. Verùm, quia inferiùs, vbi Galen. inquit mala morbis maximo esse præsidio, sum ostensurus horum mulomedicorum insaniã, hic silentio præterire volo. Notamus tamen hoc lo-

eo Galenum, nobis rectè insinuasse ventriculi curādi rationem, cùm inquit: his igitur vteris pro vincenti in saporibus facultate, austeris quidē pomis, cùm ventriculus aut propter calidam intemperiem, vel multā humiditatem imbecillus fuerit: acerbis autē, cùm duo hæc aucta admodum fuerint: acidis, quando succum crassum, qui non magnopere frigidus sit, suspicaris in ipso esse collectum. Quando succus frigidus non acida, sed acria postulat, vtraq; certè & acria & acida succos crassos incidunt, in eo tamen differunt, quòd illa quidem cum calefactione, hæc autem cum refrigeratione id obseruandum præstent. Cuius curandi ventriculi ratio elegantißimè etiam traditur ab eodē Galeno 7. lib. de Morb. curandis cap. 9. his verbis.

[Sunt porrò ipsius humidæ intemperantiæ, cùm sola consistit, remedia, cibi, qui citra valentem calefactionem, siccent. Prætereà consuetæ potionis parcitas. Eius autem quæ cū caliditate coniuncta est, astringentium & ciborum & potionum vsus. Sint autē & hi austeri sine calefactione. At eius quæ cum frigiditate est coniuncta, optima præsidia sunt acria omnia, quibus admiscere debebunt, quæ acerba, sed citra manifestum frigus sint.] Quæ, quia perspicuè quidem explicant Galeni dictionem, non piguit me adducere, quòd etiam admonerem lectorem, vt si quem locum Galeni rectè explicatum velit, nullum meliorem legat interpretem, quàm ipsum Gal. Quis enim meliùs mentem suam explicabit, quàm qui suijpsius interpres est?

Quòd astringentia quidem quantùm in ipsis est, alui deiectiones semper cohibent.] Quamuis suapte natura & quantùm ex se est astringētia omnia alui de-

deiectiones semper cohibeant, quod ostendit ipsa curatio, quæ per astringentia medicamenta exercetur, vt docet Galenus lib.8.de Morb.curandis cap.5. Tamen sæpe contingit, vt propter succorum abundantiam, quos astringens medicamentũ comprimit, aluus non cohibeatur, immo deijciatur plus, quod etiam fit, cùm venter imbecillus est, & cùm quis priùs ederit aliquod humidum alimentum, postea astringens medicamentum sumpserit, tunc enim aluus astringentibus medicamentis plùs iusto fluet. Verùm, in sanguinis profluuijs astringentium Malorum decoctum conducit, tamen si particulæ extrinsecus profluenti admoueatur, longè nocebit. Quod Galenus docet lib.5. de Morbis curandis cap.6.in hunc modum. [At verò, quæ extrinsecus profluenti particulæ admouentur, tum astringentia, tum citra astrictionem frigida, hæc ipse, veluti plerique medicorum, non vbique probo: sed mihi contrà omnino quam fieri res postulat, ipsum sanguinem intro compellere, ac venas quæ in aluo sunt, implere videntur.] Ex quo loco taxãdi sunt non nulli forenses medici, qui in huiusmodi sanguinis fluxionibus, quæ supprimi opus habent, locis à quibus fluxiones fiunt, quædam emplastra ex astringentibus composita apponunt. Est autẽ & aliud succi genus, non in pomis modò, verùm in alijs etiam omnibus, quod aqueum & qualitatis expers appellant, & cet.] Cùm tradidisset Galenus genera pomorum, scilicet astringentium, acerborum, austerorũ, & dulcium, aliorum etiam quæ mista appellantur, docuissetq; singulorum facultatem, hoc loco transit ad aliud succi genus, quod pomis omnibus alijs inest,

quod

quod aqueum et exquale Græcis ἄποιον dicitur, quod quamuis à quibusdam cum voluptate edatur, minimùm iuuare stomachum solet, idq; minimè edendũ esse suadet. Ceterùm, optima genere poma non sunt ante colligenda, quam in arboribus maturuerint, concoctu enim sunt difficilia, & frigida, tardeq; permeant, & praui sunt succi: vt interim omittam, quòd succũ etiã habent frigidum, ac leuiter crassum.]. Scio rei rusticæ auctores colligendorum fructuum tempus descripsisse optimè: verum illud aduertendum iubeo, vt pro regionis diuersitate fructus & olera colligantur, calidis enim regionibus citiùs, quàm in frigidis colligi debent, quòd ibi citiùs maturescunt: cuius obseruationis Gal. non meminit, sed dixit solùm non esse colligenda poma, antequàm in arboribus maturuerint. Cùm sint non nulla, quæ non in arboribus, sed in paleis & pauimentis maturescunt, & ex arboribus matura euelluntur: & ea sunt quæ apud nos regalia poma appellantur, quæ odore & sapore, & viribus camusijs æqualia sunt, quorum vtrumq; succum cum saccharo, & musco æquali pondere, coralli & croco mirè conducere Malencholiæ, Maniæ, & cordis Palpitationi experimento nouimus. Quæ verò bellè matura in hiemem & ver proximum asseruant ea sæpè in morbis maximum afferunt præsidium, vel cataplasmatis modò cum farina admota, aut in calidis cineribus mediocriter assata, aut pulcrè in aquæ bullientis vaporibus percocta.] Cùm superiùs Galenus docuisset optima ea poma, quæ in arboribus matura fiunt, & ab immaturis omnino esse abstinendum: hoc loco agit de pomis quæ bellè maturata in hiemem, aut in proximum

ver obseruata sunt: adiungit etiam illorum præparandorum ordinem, quòd videlicet crusta pistoria circũlinantur, vel in calidis cineribus mediocriter assentur, aut ad aquæ feruentis vaporem conuenienter elixentur, ea itaq; morbis præsidium maximum afferre ait: quò fit, vt dißimulare non possem quorũdam medicorum supinam ignorantiam, qui communem errorẽ omnium esse dictitant, quòd poma in febribus offerre consuescunt, idq́; persuadent ex sententia Rhazæ 3. Almanforis cap.10. vbi inquit, poma implere stomachum viscositatibus, quod si de omnium pomorum genere intelligatur verum non habet, cum acida, si succum crassum in ventre inuenerint, ipsum incidunt, ac deorsum subducunt. Cuius meminit Galenus loco superiori. Quòd si de aliquo pomorum genere intelligendum est, ad illorum esum prohibendum in febribus locum non habet: quòd licet aliquod pomum repleat stomachum viscositatibus, non illud propinare debemus febrientibus, immo aliud melius, quod nõ noceat, sed prosit. Adducunt etiam Auerrois sententiam 5. collectan. cap. 40. quo loco damnat pomorum vsum, quòd licet suo odore confortent cor, tamen generant ventositatem, quæ non dissoluitur in secunda & tertia digestione, itaq; possunt generare phthisim et hecticam, quia venti ex eis geniti, habent malam proprietatem exarescendi arterias pulmonis: tamen hæc omnia referenda sunt ad ventositates, quibus abundant, poma antequam tempore, hieme videlicet, aut verè obseruata, & aliquo illorum modorum, quibus præparari Galenus iubet, prorsus quicquid flatulentum habuerint, amittant: quòd si ita ægris offerãtur,
illis

illis perquàm vtilia sæpenumero erunt, & in morbis maximum afferent præsidium. Quare Auerrois sententia, licet veram esse fateamur non prohibet poma, quæ minimè flatulenta sunt, morbis esse conducibilia. Nec tamen mireris, quòd dixerim non esse flatulenta, quæ in hiemem & ver seruata sunt, cùm ea quæ in hiemem seruantur, naturam veterē (teste Galeno lib. 2. de Aliment. facult. cap. 2.) in contrarium mutare solent. Verùm dicent fortaßis: licet poma, quæ iam ventositatem deposuerunt, & eo modo præparata, qui à Gal. scribitur, morbis auxilium afferant, non statim elicitur, quòd febribus concedi poßint, cùm morbi vocabulum conueniat cordis tremori, Malencholiæ, ventriculi dolori, Vomitui, Diarrhææ, Dysenteriæ, quibus omnibus Gal. offert Malorum esum, quod ipse minimè diffitebor, tamen dicam febres ipsas morbos etiam esse, quod Galenus docuit lib. 1. Artis curatiuæ ad Glauconem cap. 4. his verbis. [Ab ipso nominantur febres, & sunt non accidentia morborum, sed ipsi morbi.] Quamobrem, non video cur mala poma interdici debeant febrientibus: quòd si illorum malitiam referendam esse velis cum Rhabbi Mose 2. partic. suorum Aphoris. ad malam proprietatem, illud profectò ferre non poterit quisuis proletarius adhuc medicus: quia si verum esset, quod ob malam proprietatem nequam esset pomorum esus, cur idem Rhabbi Moses, & omnis Arabū turba faterentur poma Melancholicis conferre, cùm eadem ratio nocumenti debet esse in Melancholicis, & febrientibus: non enim fieri potest, vt Malorum illa praua proprietas, eadē nō sit omnibus affectibus, immò par est, vt si febribus no-

noceat, Malencholiæ etiam non prosit. Ex quo Nicolus Florentinus sermone 2.tract.1.cap.18.audiēdus non est, qui dicit poma dare solere febricitantibus ex quadam mala consuetudine. Ceterùm, post cibum statim dare ipsa conuenit.] Quod etiam obseruasse antiquitatem in mensis suis legimus, quas auspicari solebat ab ouo, & malis finiebat, quod in prouerbium abijt, ab ouo vsq; ad mala, cuius meminit Horatius Satyra 3. id est, ab initio conuiuij vsq; ad finem. Ceterùm, quòd non citra optimum victus institutionem mala conducant in fine mensæ: astringens illorum vis in caussa est, qua os ventriculi reseratur, ac comprimitur, vt cetera alimenta priùs congesta, faciliùs ipsius ventriculi locum inferiorem petant, ac ibi collecta, perfectiùs concoquantur & digerantur. Conducunt etiam acerba mala: nonnunquàm cum pane ad ventriculum roborandum, & ijs qui deiectum appetitum habent, tardeq; concoquunt, ijs etiam, qui vomitu, Diarrhœa, & Dysenteria affecti sunt, quòd sunt astrictione retinendi facultatem habeant. Ad ventriculum & stomachum roborandum.] Quàm stulti sint barbari medici in rerum medicinæ vocabulis, hæc Galeni oratio argumento esse potest, quæ vētriculum & stomachum longè diuersa esse ostendit: verùm illi stomachum semper appellant eundem, quē Latino vocabulo nos ventriculum dicimus, qua in re falluntur apertißimè, quòd venter seu ventriculus capacitas superior omnis in qua alimentum suscipitur, appellatur: & stomachus os ventriculi sit, cuius significationis meminit Galen.lib. 4.de Caußis pulsuum cap.24. & etiam lib.2.de Aliment.facult.cap.de Vuis pas-

paßis. Verùm, vt hæc in dictis Galeni lucidiora euadant, notamus ventris vocabulum ambiguum esse, aliquando significare capacitatem, quæ sub thorace est, aliquando etiam illam, quæ sub membrana quæ abdomini subtenditur, Græci περιτονάιον *dicũt, continetur: quod Galenus tradit lib. 4. Methodi medend. cap. 5. & comment. 4. lib. Hipp. de Vict. ratione in morbis acutis. Libuit hos Gale. locos hîc adducere, vt lectoris animum illorum lectione recrearem, in cuius gratiam, obsequium, & vtilitatem, meam operam, & laborem omnem libenter offerre cupio.*

Paradoxum medicũ de Clysteris vsu, quòd nõ scilicet in morbis venæ sectionem præcedere debeat, vt vulgares medici stultè faciunt. CAP. XII.



ROXIMIS *diebus Antuerpiam cùm venissem, incidit mihi sermo cũ medico de Clysteris vsu in morbis, an videlicet præcedere deberet, aut subsequi venæ sectionem, qui pro aris, & focis, quod dicitur, vulgarium medicorum tuebatur opinionem, qui perpetuò in curandis morbis, qui venæ sectione indigent, venæ sectioni clysterem esse præferendum aiunt, qua in re quantùm ipse deciperetur cum suis præceptoribus, quibus semper obtemperandum esse cupiebat, promisi me demonstraturum, ostensurum etiam quam turpe sit viros in artium studijs bene fortaßis institutos: ita libenter mentiri maluisse cum vulgaribus, quàm verum*

rum dicere cum doctioribus, quorum auctoritas illos minimè mouere potest, immò si quam vulgi opinionẽ subceperunt, in qua licet insaniant, nec ab illa tantillùm declinant, potiùs alios calumniantur, si eidem nõ assentiantur, & quadam animi superbia, & arrogantia impulsi, (quod à vulgaribus magni fiant, eò quòd magni etiam facienda existimant eorum dogmata) vix trahi possunt in veriorẽ sententiam, quos priùs quàm moueas, durum silicem manibus minuas. Malunt enim non pudere sui erroris, quàm illum apud alios fateri, per quos doceantur ac instituantur, quippe qui nihil suis ingenijs detrahere cupiunt, ne fortè reliquis intelligentibus, quòd nihil habeant momenti, ludibrio sint. Accedit etiam alia ratio, quòd in barbarorum sectis educati sunt, qui illos nihil aliud prorsus docuerunt quàm quædam stulta præcepta, quæ suorum ingeniorum aciem ita præstrinxerunt, vt vix veritatis lumen prospicere poßint, sed vbiq; in veri cognitione cæcutiant, quos Galenus elegantißimè redarguit lib. 8. de Compositione medicam. secund. locos.

Quibus facile ignoscerem, si non & perseuerare, & ab erratis, animum reuocare illos intelligerẽ. Verùm ea est suorum ingeniorum peruersitas, vt nolint excusari, licet humanißimè & benignißimè quicquid erroris in quauis arte commiserint, illud condonandum esse iudices, si illos posteà doceas illam doctrinã (quæ licet verißima sit) sectæ tamen quam profitentur repugnare videatur: in quorum vtilitatem meam hanc operam & laborem si offerrem, illum me lusisse ac perdidisse crederem: quò fit, vt propter illos minimè hîc mouerer, nisi cuperem apud alios, quos scio

auctoritate, & eruditione plurimum valere, eam animi propensionem, quam in illos habeo, ostẽdere. Quare ad mei instituti rationem sermonem à clysteris vsu in morbis exordiar. Est igitur in omni ferè morborum genere, clysteris exhibitio multis nominibus vtilis, in his tamen qui venæ sectione opus habent, post illam illum semper adhibere oportet, non ante, vt vulgares hucusq; facere consueuerũt, qui seducti quadam Auicennæ auctoritate 4. 1. cap. de Phlebotomia, vbi inquit non faciendam phlebotomiã fece existente sicca, existimant semper ante sanguinis mißionem clysterem esse inijciendum, quod quantùm habeat erroris ex eo probari potest, quòd eodem Auicenna auctore multis in locis clyster præcedat phlebotomiam, quos legant apud illũ, vt sui erroris conscij fiant, qui tantopere illum colunt ac venerantur. Adde etiam, quod ipse Auicennas canonem illum vniuersalem loco citato de Clysteris exhibitione ante venæ sectionem sumpsit ex Galeno in lib. de Præsagio experimento confirmato, vbi semel in vno particulari solùm casu, quando scilicet aluus constipata est fecibus, alibi verò semper debere præcedere sanguinis mißionẽ clysterem ipsum, & clysterem nunquam præcedere, imò subsequi Hipp. & Gal. docent. Nec enim tam ridiculi & stulti esse deberent, vt ita libenter multis in locis sibi essent contrarij, & repugnantes, nec etiam credendum est de Auicenna viro quidem non parùm erudito, vt tã liberè repugnare velit Galeno, cuius se interpretem esse fatetur, qui nunquam excepto illo casu, cùm videlicet intestina fecibus constipata sunt, iubet ante venæ sectionem inijcere clysterem, immo sem-

per vt subsequatur, non solùm ille, verùm & Hipp. qui lib. 4. de Vict. ratione in morbis acutis comment. 71. Post factam venæ sectionem, inquit, clysterē postea exhibebis, vbi Galenus in comment. quasi generalem regulam ponit dicens, quòd Hipp. post sanguinis mißionem clysterem adhibere iubet, nisi spontanea excrementa bene exierint. Rursus Hipp. eodem lib. 4. comment. 18. vniuersaliter iubet venam esse secandam in acutis morbis, inquiens. [Si plùs sanguinis subtraxeris, clystere tertio quoq; die vtere.] Quo loco Galenus in commentario inquit. [Nempè relaxato per sanguinis mißionem corpore, quod ex morbificis humoribus qualitate vitiosum superfluit, per clysterem id vacuari iubet.] Præterea, idem Hipp. in eodem libro quarto de Victus ratione in morbis acutis textu 19. in multis affectibus, qui venæ sectione opus habent. [Venæ sectio, inquit, in his præferenda venit, deinde clysmis opus est.] Adhæc Galenus lib. 2. de Compositione pharmacorum secundum locos capitulo 10 ita inquit. Deinde venæ sectio è cubito, & alui euacuatio per validum clysterem. Vltra etiam lib. 1. Artis curatiuæ ad Glauconem cap. de Cura quartanæ, monet venæ sectionem exercendā esse, & post illam clysteribus esse vtendū, quæ si à vulgaribus medicis aduerterentur, non ita tā stultè paßim insanirent, docentes & iubentes apud ægros, quorum curam habent, (quorum vicem dolere oportet quòd ita sui iuris fecerit illos bonorum medicorum raritas) venæ sectioni clysterem esse præferendum, quod quantum erroris habeat (vt superiùs etiam diximus) rationibus demonstrabo. Primùm, si

ante

ante venæ sectionem clyster inijceretur, aluus ipsa quodammodo incalesceret infusione ipsius clysteris, cuius calfactione internæ corporis partes, calorem partium exteriorum vnà cum sanguine & spiritu, in venis & arterijs contentis, ad interiora adeò euocarent, vt partes exteriores corporis refrigerarentur: quo fieret, vt venæ iam inanitæ, & veluti pauperes redditæ, vix secari possent, vt sanguis nequam etiam exire non posset. Vltra, si prius venæ sectione clyster infunderetur, non paruum sequeretur nocumentum, quòd scilicet cùm æger de lecto surgeret ad expellendum stercus, corpus refrigeraretur, & calor sanguinis tepesceret, quò fieret vt redderetur ad exitum ineptus, quia qui infectus est frigiditate illa cõcrescit. Rursus. Venæ, adhibito priùs clystere, ferme expulsione facta exiles fiunt, detumescunt, concidũt, ac relaxantur, & ob id, vt sæpißimè experti sumus, venæ sectio commodè exerceri non potest. Accedit etiam quòd si clysteris vsus anteà permittatur, vt bonus sanguis communiter exeat, non tamen vitiosus, immo ille qui vulgò excolatus appellatur: quæ minimè accidere solent si venæ sectio præferatur clysmis.

Dices tamen, si clyster præferatur venæ sectioni, & venæ sectio per tres horas non fiat, partes interiores corporis, & sanguis calfient, & commodè tum tẽporis sanguis poterit mitti, quod nec satis est, quia præter illud, nullus est medicorum, qui hoc faciat, imò statim post Clysterem immissum cùm venter exierit, venæ sectio paßim axerceri solet, venæ adhuc laxæ, & debilis remanent, & sanguis tenuis (vt experimẽto multorum certum est) exit. Est etiam alia non vul-

garis ratio, quia clystere ante iniecto, mouentur præter excrementa etiam materiæ communes, quibus intestina & venter inferior abundare solet: mouentur ad inferiorem ventris partem, quæ quidem per modū sequelæ alias attrahunt materias, ad quam attractionem materiæ existentes in venis, propter motum & agitationem illarum materiarum communium etiā moueri solent, quod nec mirum esse debet, quia clyster non solùm vacuat quæ in intestinis sunt, sed etiam ob reuulsionem ea quæ ad caput feruntur, vt Gal. ait lib. 2. de Compositione med. secundum locos, loco à nobis iam citato. Quo loco ostenditur clysterem vim habere attrahendi materias per viam sequelæ à superioribus ad inferiora: quò fit, vt illis, qui clysterem sumpserunt, sæpenumerò accidat debilitas, ac animi defectus, quibus etiā visus deficere solet, propter bilis agitationem versus ipsius ventriculi os, vnde quia humores agitantur, & diuertuntur, per clysteris infusionem priùs adhibiti, apti non sunt vt bene vacuentur per venæ sectionem. Quare Auicennas Fen. 10. 3. cap. de Cura pleurisis prohibet venæ sectionem, cùm quis semel, aut bis in die assellarit, ita inquiens.
[Assellare semel, aut bis, in die excusat à phlebotomia.] Quod non ob aliud quidem dicit, quàm quòd assellando semel, aut bis, diuertuntur superfluitates à venis ad intestina, ex quo non vacuaretur sanguis malus, sed bonus. Si igitur in morbo laterali, (in quo admodum necessaria est venæ sectio, imò est potißimum curationis auxilium) venter semel aut bis exeat: prohibetur sanguinis mißio, clystere etiam iniecto, si semel aut bis aluus abeat, quod sæpißimè accidit, etiam
venæ

venæ ſectio prohibenda eſt. Ex quibus luce clariùs oſtenditur in omnibus morbis, qui auxilio venæ ſectionis indigent, quiq; de præſenti, quod dicitur, curationem requirunt, ſemper venæ ſectionem clyſteri præferendam eſſe, & poſt illam clyſterẽ eſſe inijciendum. Quòd ſi offerantur aliquot Abenzoaris, Auicennæ, & Auerroïs auctoritates, quibus iubent ante phlebotomiam clyſterem eſſe exhibendum, dicimus illorum ſententiam eſſe interpretandam de cura, non præſentis morbi, ſed illius præſeruandi & cauendi gratia. Quare meminerint poſt hac, qui prauis ſectis tantoperè dediti ſunt, hanc noſtram ſententiam meliorem profiteri, aut errorem execrandum hunc de vſu clyſteris ante venæ ſectionem omnino obliuiſcantur: quòd ſi adhuc contumaces eſſe velint, in ſua ignorantia, iubeo illos in illa ita ſeneſcere, vt de hac & alijs multis erroribus ſuis, aliquando luant pœnas.

Conſiliũ pro filio Hieronymi Serrani Lumbricis laborante, vbi illorum cauſſæ, ſigna, & curatio, non vulgariter traduntur.

CAP. XIII.



CRIPSERAT *ad me Hieronymus Serranus vir, in politioribus litteris apprimè eruditus, et mihi (Salmãticæ dum agebam) admodum notus, vt filio ſuo vnico, quem habebat, iam à viginti & tribus diebus febre continua laboranti aliquod auxilium propinarẽ,*

quo ſperabat filiũ bene habiturum, propter illam quã ſciebat me erga illum fidem & amorem habere, quem non parùm valere dicebat ad morbos curandos. Magna enim ſalutis ſpes eſt, ſi amico cuius fides, & eruditio etiam notæ ſunt, te tuosue committas. Ego vt amico (quem anteà non vulgariter diligebam) morem gererem, meq́; apud illum talem præſtitiſſem, qualem propter non vulgarem amorem, quem erga illum habebam, talem me eſſe cupiebam, libenter ad illum litteras dedi, quibus illi ſignificaueram, me credidiſſe illius filium lumbricis oppreſſum eſſe, quòd accidere ſæpenumerò ſolet huic puerorum ætati, quod etiam amicus ille meus videbatur in ſuis litteris mihi ſignificare, quòd ſcribebat puerum irritari, tußicula, habere etiam ventrem quodammodo inflatum, quæ ſigna lumbricorũ ſunt, vt inferiùs docebimus. Quare citra controuerſiam vllam, conſilium ad illum miſimus pro lumbricorum curatione, quam vt decet traderem, ab eorum caußis exordiendum eſſe volui. Lumbricos igitur ab humore putrido pituitoſo, & deniq; in corpore retento ortum habere tradunt antiqui, & recẽtiores medici, nec à bile atra, nec rubea, ſanguinem gigni poſſe auctor eſt Auicennas, qui lumbricos inter animalia quæ ex putrefactione oriuntur, enumerat. Solent enim innaſci putridis in rebus animalia, auctore Ariſt. lib. 4. Meteoron cap. 11. quæ imperfecta dicuntur, vt omnium vermium genera, quibus ſuæ generationis primordium aut à Sole, aut à ſpiritu præſtatur, teſte etiam Ariſt. lib. 5. de Hiſt. Ani. cap. 19. Gignuntur itaq; lumbrici à viſcoſa & frigida materia, quorum ſpecies ſunt tres, prima eſt teretum, altera

latorum, tertia est ascaridum: teretes lumbrici formam habent satis notā omnibus, qui vnius palmæ sunt, aliquando maiores, quibus frequentiùs laborant pueri, quorum in gracilibus intestinis huius generis lumbrici sæpenumero nascuntur: deinde ventriculum subeunt, reijciunturq́; per os, per nares etiam reddi experimento docemur. Latos verò lumbricos in infante, cùm adhuc in vtero est, nasci auctor est Hipp. lib. 4. de Morb. Cereas etiam alij institas quidam appellant. Est præterea latus lumbricus eiusdem magnitudinis cum in intestino, membrana intrinsecùs gracilia intestina ambiente. Fit enim, auctore Paulo, quædam transmutatio illius in animal quoddam viuum. Ascarides verò potiùs sunt vermes, quàm lūbrici, qui in recto intestino & spinctere gignuntur, hos etiam in feminarum pudendis nasci posse auctor est Hipp. lib. de Morbis mulie. Nos, qui plurimùm fidei in nostra arte experimentis rationi accommodis tribuere solemus, per vteri collum matronam quandam multitudinē horum vermium magnam expulsisse vidimus, quæ postea dolore, quo vehementer cruciebatur, liberata est. Galenus tamen lib. 1. de Locis affectis solùm in intestinis lumbricos fieri voluit, & Arist. 4. libro Meteoron animal non fieri in ipsa concoctione asserit. Cuius meminit Hieronymus Gabucinius medicus Fanēsis in suo commentario de Lumbricis. Sed ad curationem illorum reuertamur, notis priùs illorū intellectis, quas à Paulo Aegineta, lib. 4. cap. 57. multò meliùs omnibus scriptas legimus. [Sequuntur autem, inquit, eos qui rotundos lumbricos continent, rosio intestinorū & vētriculi, tusses exiguæ, & cum siccitate iri-

ritantes, non nullos comittatur singultus, quoq; somnus cum palpitatione, & qui his occupantur sine ratione expergiscuntur. Non nulli cum clamore expergesiunt, & iterum sopiuntur, pulsus inæqualis, & febres augescunt inordinatè, quæ aut extremorum perfrictione, tertiam interim quartam diei, vel noctis accessionem sine ratione habent. Infantibus conquassatio linguæ temerè excitata, & dentium stridor oritur. Luminibus conniuēt, voluntq; conquiescere, excitantibus ipsos indignantur, oculi apparent, genæq; rubescunt, & rursus liuent. Atq; hæc paulatim ex interuallo. Quibusdam nauseæ, & rosionis caussæ stomacho peculiares creantur, ac ægri cibum respuunt, compulsi autem ad cibum, nauseabundi vix quod assumunt, deglutiunt, vel etiam reuomunt, plerisq; etiam aluus descendit, correptos cibos exerens, & timpani modo inflatur, reliquum corpus sine ratione contabescit, nec esurie, nec vacuatione modica suborta, atq; non in omnibus omnia, quæ iam commemorauimus, signa inquirere oportet, sed non nulla ex eo, quod præpollet, interim & plurima.] Hæc ille. Latorum verò in fallacissimum signum est, auctore eodem Paulo, quòd cum alui excrementis corpuscula quædam cucurbitæ seminibus similia excernantur, quæ multis partus lumbrici lati esse dicuntur, quod minimè verū est ex sententia Hipp. libro superius à me citato. Ascarides verò in podice magnum pruritum commouēt, & assiduè ad exerendum concitare solent. Hæc igitur signa lumbricorum sunt. Curatio verò tam rotundorum, quàm latorum in hoc consistit, vt illos priùs occidamus, & postea occisos expellamus. Occidūtur

ama-

amaris medicamentis, non ob id solùm, quòd humor putridus, dulcis, materia sit illorum generandorum, sed quòd minimè omniũ amara putrescant, minimeq; vermes creent quod à siccitate, qua amara constant, fieri, docuit Gal. lib. 4. de Simpl. medic. facult. cap. 20. ex quo loco Christophori de Vega medici alioquin doctißimi non multùm laudamus sententiam, qui in commentario suo lib. 2. pronostic. Hipp. pronostic. 18. Methodum curatiuam lumbricorum per amara fieri debere scribit, quòd ipsi ortũ habeant à dulci pituita, cùm potiùs, quia amara sicca sunt, prohibentq; putredinem curandis lumbricis vtilia sunt. Amara autem sunt Absynthium, Abrotanum, Calaminthum, Marrubium, Hyssopus, folia Persici, Lupini, Centaurium minus, Ambrosia, & cet. quibus quoquo modo volueris, vti poteris, dummodo magna febris non adsit. Nec tamen te multùm esse sollicitum, de febre volo, vt neglecto lumbricorum curatione animum ad illam conuertas, venas aliquando scindendo, aut crura miserorum puerorũ scalpellando, quod nos ab imperitis medicis non semel haud sine illorum dedecore, & puerorum immaturâ morte, factum fuisse nouimus. Tamen si febris adsit, endiuiæ ac cichorij succis, ac semine, & myxarijs vtendum est. Inter simplicia medimenta necandis lumbricis accommodatißima est aloë, si pueri illam degustare velint, sed quærendus est modus, quo illam deglutire poßint. Cornu item ceruinũ in scobem subtiliter redactum, aut combustum, cum melle vtile est. Illud etiam aduertendum est, omnia hæc medicamẽta lumbricis vtilia, cum dulcibus rebus sumenda esse, quòd lumbrici illorum dulcedine allecti,

facilè

facilé deuorent illa, illos necantia, quod in clysteribus etiam obseruandũ, si suspicaris lumbricos ad vẽtriculum ascẽdisse, vt facile descendant ad intestina, mulsam inijcere oportet. Quòd si aluus vltra rationẽ fluat, quod sæpé fit, succum plantaginis dabis, ipsamq́; in puluerem redactam propinabis, deinde astringentibus emplastris opus erit, quæ vẽtri imponere oportet. Balanis ex melle cum medicis salibus, vel nitro vtendum etiam est, idq́; magis pro infantibus. In grandioribus verò natu, clysmis ex acri muria, ex absynthij, & calaminthi, & lupinorum decocto etiam vti debes, vtilis ex carne salita balanus est, qui pinguedine derasa præparatur, vtilis etiam clysmus, qui ex lacte asinino & sacchara fit. Quod ad victus rationem attinet, à Paulo etiam petendum est cõsilium qui prædicto loco in hunc modum ait. [Escis vtantur boni succi, vt facilé deducantur, & ad mẽbra transeant, nec caussam foueant. Quamobrem vinum concedimus aquosum, cibumq; crebrò exhibemus, tũ propter id, tum etiam ne lumbrici morsus inferant. Si adsit ventris profluuium inditio est, multo gigni cibo non distributo: miscenda eo casu sunt sorbitionibus vel pira vel cotonea.] Quæ à me in gratiam & amorem Serrani amici mei scripta sunt, eaq; qua potui diligentia & studio: de lumbricorum curatione tibi etiam candide lector offerimus, vt intelligas nos multùm nõ erubescere, si multa à peritis auctoribus à nobis desumpta fuerint, quòd illorum gloriam defraudasse, auxisse potiùs certum est, quòd, quæ aliena sunt, mea non fecerim.

An vinum ieiuno ventriculo conferat ad Hieronymum Baleïam doctissimum virum. CAP. XIIII.



VM iter facere Nanetem, vt ibi ab itineris tædio animum reficerẽ, redditæ fuerunt mihi litteræ tuæ, quibus ita delectatus sum, vt iam præteriti laboris non meminerim amplius: imò æquo animo iam ferens meam fortunam, quæ licet mihi antea acerba admodũ fuerat, dolere desino, & tui ipsius recordatione ita delector, vt omnium mearũ calamitatum penitùs obliuiscar, & gaudiã me in portu esse, quod me tibi debere fatear, cuius humanitas, ac virtus, hoc vno nomine præter alia multa prospecta esse debet, quòd videlicet in tot calamitatibus, ac laboribus meis, ipse ita doleas, vt scribis, vt meorum laborum comitem esse velis: quò fit, vt tibi gratias immortales agam, qui tua humanitate, animiq; candore, ita me amplexus es, vt qua poßim animi etiam gratitudine tibi perpetuò deditißimus esse debuerim. Scribis ad me, apud Proconsulem vestrum, in cœna, vt de more sæpè fit, agitatam fuisse quæstionem, an ex medicorum consilio, liceret ieiuno ventriculo vinum meracũ bibere, quod humanæ vitæ admodum incommodũ medicus Britannus quidam, qui mensæ præerat, omnibus persuadebat, cuius decreto, vix ipse fidem adhibere voluisti, quin priùs meam audiuisses sententiam. Ego tamen, cùm iam aliàs quòd de hac re sentierim, ad nobilem quendam amicum scripserim, libenter dicam: si tamen

priùs

prius memoriam magis quàm libros consulam, quos nec licuit videre in hac longa, & laboriosa itineris peregrinatione. Est igitur non parùm difficile de ea re agere, de qua vini agatur mentio, quòd in confesso sit apud omnes, medicorum præcepta in vinorũ quantitate, facultate, ac mistione minimè esse probanda. Ob id enim ab hominibus vina eliguntur, vt facultatem, quæ prædita sunt, non curent, an videlicet etiam calorem natiuum augeant, & alimentorum appetentiam excitent, tristitiam & curas expellant, somnũq; concilient, curam non habent, quæ omnia ex moderato vini vsu euenire docent medicorum dogmata. Verùm, quod dicere soleo sæpè, solùm vt magis ipsi bibendo delectentur, viniq; expleant auiditatem, ab illis vina expetuntur, quàm quòd eorum vires explorent, dum tamen sibi satisfaciant. Hæc summa vini dignitas, hæc virtus incomparabilis est, vt non aliud præclarius nec dulcius vitæ genus sit, quàm si citra emulum, aut doctorem, nullus sit prorsus bibendi modus, aut mensura. Itaq; cùm vulgò ita res habeat, vix vllis persuadere potero, quàm incommodum sit ieiunos vinum bibere, præsertim hac nostra tempestate, quæ tot paßim vidit vinorum prodigia, ne dicam miracula, quòd rarò esse solent. Verùm, cùm ad te scribo, quæ non solùm in his, quæ ad animi temperantiam, virtutem videlicet ipsam comparandam, verùm ad corporis refrenandam libidinem, ad moderatum scilicet cibi, & potus vsum spectant, te antè nouerim, facilè spero, meam, de re quam scribis, probaturum sententiam, qui etiam medicorum præceptis obtemperabis, cùm noueris, eam esse medicinæ artem, quæ docet

vitam

vitam nostram ita temperatè esse instituendam, vt nō solùm corpus sanum sit, verùm & animus ipse à voluptatibus coërceatur. Vinum itaq; an conueniat ieiunis, paucis accipe. Inter varias non bene seruatæ victus rationis noxas, vitæ nostræ magis periculosas, ac perniciosas quæ ex potus, aut cibi vitiato ordine cōtrahuntur, capitaliores esse solēt, quòd his plurimùm natura nostra alteretur, cùm aut præter rationis vsum ingesta sunt, aut non recto ordine sumuntur. Quis enim non videat quot morbos sæpè pariat cibariorum ingluuies, ac bibendi nunquā satiata sitis? Quot etiā efficiat edendi & bibendi prauus in mensis ordo? cùm videlicet in fine mensæ edantur, quæ in initio erant offerenda: quò fit, vt cura sit nobis habenda, non solùm de alimentorum ordine optimè seruando, verùm potus aquæ & vini, quorum vtriusq; ratio ordinis habēda etiā est. Vinum tamen, cuius nobis hîc sermo est, si ventriculo ieiuno sumatur, perniciosum admodum est, & naturæ inimicum, animi enim vigorē impedit, ac hebetat, & (vt Galenus cōment. 28. aph. lib. 6. ait) ad articulorum morbos rectißima est via, quod ob id euenire videtur, quòd cùm vinum suapte natura, calore videlicet suo, & subtilitate, facilè in substantiam membrorum, quæ illud etiam ad se attrahunt, velocissimè ad corporis mēbra permeat, secumq; affert præteritæ concoctionis superfluitates, quæ in inferiori ventriculi parte reseruantur, ad vtilem naturæ vsum, à quibus articularis morbus ortū babet. Quæ cùm ita habeāt, fieri potest vt his, quibus ob laborē, hæ, quas diximus, superfluitates consumptæ, & quodammodo siccatæ sunt, vinum ieiunè sumptum non omnino offi-

ciat, immò prosit ingenuè præcipuè illis, qui imbecillũ habẽt ventriculũ, & caloris natiui expertem, dum modo tamen pituita non abundent, ex quo non multùm amplectendam sententiam cuiusdam Leuini Lemnij existimamus, qui in libro quodam suo de Occultis naturæ miraculis, sine vllo rationis discrimine, ait vinum ieiunis perniciosum esse, naturæq; aduersissimũ, cùm constet etiam apud Homerum, à quo omnes veluti à doctrinarũ omnium fonte nonnihil acceperunt, Helenam vinum ante cibum ministrasse, quod somno & securitati, vtile existimaretur. Quin etiam Tiberio Claudio institutum est, vt ieiuni biberent, potusq; vini cibos antecederet. Quod Anutius Foësius Mediomatricus medicus, vir profectò sua laude dignissimus etiam tradit, in comment. suis ad Hipp. libros de Morbis vulgarib. cuius auctoritatem nolui esse interponendam, nec etiam silentio præteriundam, quòd naturæ is profectò sim, qui aliena supellectile meam domum exornare vellem, hoc est, labore alieno non ita fruar, vt nihil mei laboris interponam, dum aliquid scribo aut compono. Habes igitur Baleïa amicissime ea de re, quam ad me scribis, sententiam meam, non tamen ita vt volebam scriptam, reperies tamen in illa eam animi promptitudinem, quam semper vbiubi gentium fuero, erga te tuosq; habebo. Vale.

Animaduersiones in quosdam locos epistolarum Ioannis Langìj, vbi de lotione pedum, de minoratiuis pharmacis & de alijs agitur. CAP. XV.

Legi


EGI Ioannis Langij Lembergij medici prima, & secunda epistolarum suarum medicinalium miscellanea, quæ (si mihi licet de earum eruditione calculum ferre) ostendunt illum exquesitæ lectionis virum, & inuoluendis libris diligentißimum: non solùm propter vtriusq; linguæ, quam habet, cognitionē: verùm propter indefessum etiam circa litterarum studia laborē, quem in acquirendis artibus Germani habent, qua in re longo interuallo Lusitanos nostros superant, qui licet suo ingeniorum lumine, iudicijq; promptitudine, alios antecedunt: laboribus tamen, illis nec æquales sunt, imò sæpè in studijs ita defatigantur, vt à laboribus vincantur. Germani verò, cùm ad laborē facti & nati solùm esse videantur, mirum non est, si raræ lectionis viri sint, inter quos eße multos, qui cum lectione adiungant etiam incredibilem artium omnium eruditionem: non diffitemur, quos si sua laude, quæ parua non est, defraudarem, minimè sine pudore vlteriùs progrederer. Verùm, quod ad ingenij, iudicijq; splendorem attinet, Germanos homines nihil nobiscum habere commune rationi consonum esse videtur, nisi fuerint aliquot nobiles aut selectiores viri, quos aut vitæ temperantia, aut sanguinis claritas (quæ ad mentis aciem nonnihil facit) ita ingeniosos reddiderit, vt minimè sint hebetes, vt omnes alij, qui ob regionis & victus intemperantiam, rudes ac tardi ingenio eße solent. Nostri verò ingeniosi, acuti, & ad intelligendum apti sunt, nec id immeritò est, addit enim ipsa patria & locus nonnihil ad ingenium, quod

Cicero (quem in omnibus quæ poßum consulendum eße cupio) rectè quidem & eleganter in 2. lib. de Natura deorum ita inquit. [Acutiora sunt ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër sit purus, ac tenuis, quàm illorũ qui vtuntur craßo cælo ac concreto: quinetiam cibo quo vtaris interest aliquid ad mentis aciem.] Cùm igitur nostra Lusitania tum ob soli, cæliq; temperiem, tum etiam, quòd Germania calidior sit, qui illam incolunt, ingenia acutiora & ad intelligendum aptiora habent quàm Germani, qui propter suam regionis frigiditatem aëre craßo, concretoq; vtuntur. Quare excusari poßum apud illos, qui fortaßis suspicentur, me aliqua maledicẽdi, aut præclara alioqui ingenia calumniandi rabie hæc scripsiße, quod minimè verum eße sibi persuadebunt, cùm viderint quanto amore semper doctos, & de litteris bene meritos viros ipse prosecutus sum: quorum doctrinam tantùm me profeciße fateor, quãtum alijs etiã prodeße cupio, in quorũ vsum ac vtilitatẽ quicquid scribo semper conferendũ volo. Quare nec cuiquam inuisus debet esse is meus labor, immò à viris probis laudandus, qui non negabunt, me hac in re accusandum nõ esse, qui iuuandæ posteritatis gratia, has animaduersiones in Langij epistolas scripserim, quem si ore proprio alloqui liceret, libenter admonerem, vt post hac in suis scriptis non vbiq; semper suijpsius ita amicißimus esse vellet, imò veritatem ipsam magis seipso diligeret, ne suæ opinionis amor ita illum adeò deciperet, vt illius posteà pœniteret. A quo licet multa in suis scriptis ita eruditè & sapienter tradita sunt, vt ad Cleanthis lucernam ela-

borata eſſe videantur, tamen in nonnullis lapſus eſt, quod minimè mirandũ eſt: labitur enim ſæpenumero humana natura, & homo non ita eſt perfectus & ad vnguem factus, quàm diu detinetur in huius corporis ergaſtulo, vt in veri cognitione aliquando decipi non poßit. Quare ne longiùs abeat oratio, paucis dicã, quæ apud Langium à me animaduerſa ſunt, qui in epiſtola 89. primæ partis ſuorum miſcellaneorum ait Galenum per vniuerſam ſuorum annorum ætatem, etiam perſuadente patre, quicquam crudũ non ediſſe, quod minimè verum eſſe apparet ex eiuſdem Gal. ſententia, qui 2. de Aliment. facult. libro cap. 4. de Lactuca inquit. [Pleriq; autem priùs quàm in caulem aſſurgat, ipſa vtuntur aquæ incoquẽtes, quod ego nunc ex quo dentes mihi malè habent cœpi facere. Quidam meorum ſodalium, conſpicatus olus id iam olim quidẽ mihi eſſe conſuetum, nunc tamen illius eſum eſſe permoleſtum, auctor fuit mihi ipſum coquerem.] Quo loco luce clarius oſtenditur Galenum per multos annos, antequam dentes illi male haberent, illum cruda lactuca vſum fuiſſe, & monitum à quodã ſuorũ ſodaliũ, vt elixa vteretur: cuius meminit etiam Cælius Rhod. lib. 16. cap. 40. vnde verũ non eſt illum nunquam in vita quicquam ediſſe, vt Langius ait: quòd ſi dicas illum non ex propria ſententia locutum, nec hac ratione excuſari poteſt, qui vt amplecteretur Perottum Grãmaticũ, negligẽtiæ accuſandus eſt, quòd Gale. ita oblitus fuerit. Aduerto etiã 2. parte miſcellaneorũ ſuorũ epiſt. 45. vbi agit de ſõnifera pedũ lotione Hom. illud.

Ἐπεὶ λούσαιτο, φάγοιτε.

Εὑδέμεναι μαλακῶς, ἣ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

Parùm aut nihil facere ad pedum lotionem, quòd ibi illius nulla prorsus fiat mẽtio, sed totius corporis, quæ si debito ordine fiat, somnum prouocare certum est, eam in balneo fieri ante cœnam docet antiquitas, & medicorũ etiam præcepta vesperi præsertim, cuius meminit Gal.4.de Sanitate tuẽda parùm ante medium his verbis. [Deinde vesperi pinguiter vncto, & tẽperato balneo mediocriter lauato, pro cibo dabimus sorbitionẽ aliquam boni succi, sed planè quàm minimam, nec tamen à vino eum abstinebimus, concoquit enim semicrudos humores, quãtùm aliud quiduis, tamen sudorem vrinamq; promouet, ac somnum conciliat.] Ex quo loco credimus Langium hallucinatũ fuisse, qui post cœnam ait pedum lotionem conducere ad somnum prouocandum, quod Homeri auctoritate probare nititur, qui duplicis erroris accusandus est, quòd scilicet nulla prorsùs apud Homerum, vt diximus, facta fuerit mentio de lotione pedum, nec etiã à cibo lotionẽ faciendam esse docet, immò post sumptum cibum. Vt lauit, inquit ille, sumpsitq; cibum, dat membra sopori. Quòd si adhuc contumaciter Langius suam velit defendere sententiam, esse videlicet lauandum post cœnam. Legat Galenum, qui in comment.de Salub.diæta reprehendit illos, qui se à cibo lauerint, quod etiam libro 6.de Sanitate tuend.dãnat. Verùm quoniam in his parùm morari licet, quòd non ob hæc solùm promoti sumus, sed ob alia quidẽ, quæ noster Langius etiam habet, epist.55. 2. partis, vbi agit de minoratiua purgatione. Quo loco ex Galeni auctoritate lib.11.Method.med.cap.16. docet, sicut in febribus non solùm continuis, verùm in omnibus,

bus, quas putrescens humor concitat, venam esse secandam, leuata namq; onere, quæ nostrum corpus regit natura, nec proprij muneris oblita, id quod concoctioni habile est, concoquet: & id quod est noxiũ, concoctione sequestratum excernet: qua ratione etiã lene pharmacum, minoratiuum appellant, nititur probare morbis adhuc incoctis à pituita, aut ab vtraq; bile ortis vtile quidẽ esse. Quod quàm ab Hipp. & Gal. sententia abhorreat, & à veritate ipsa, quam præ omnibus ipsi colendam esse docent, paucis ostendam.
Cùm itaq; sanguis bifariam naturæ inutilis sit, quando videlicet propriam qualitatẽ ad vnguem non seruat, nec amplius nutrire, sicut priùs cùm vtilis esset, potest: vel ita multitudine creuit, vt aut vires præmat, aut tum venas, tum arterias, vel distendat, vel rũpat, vel obstruat, venæ sectio ob hæc duo vtilis est, quòd humorum vehementiorem impetum ad diuersum reuocet, vel per propinqua deriuet, quorũ duorum vtrumq; iubet Gal. cùm inquit, in continuis febribus, & in alijs omnibus putridis esse scindendam venam, non solùm curãdarum febrium, sed etiam prouidentiæ gratia, vt natura scilicet leuior reddita, calorq; naturalis minùs impeditus sua munera faciliùs & expeditiùs exequatur, facta aut multi, aut praui sanguinis vacuatione. Quod de vacuatione per pharmacum minoratiuũ in morbis, quos pituita, aut vtraq; bilis excitauerunt, verum non habet, quòd hi vera curatione & non prouisione, quam προφυλακὴ Galen. appellat, curandi sunt, quia si lenibus auxilijs mouerentur aliquot succi, vt sæpißimè contigit, qui praua accidentia concitare solent: vt Gal. paßim tradit. Rur-

ſus etiam adhibitis his leuibus medicamentis iam periret occaſio fortiorum exhibendorum, quibus morbi præſertim peracuti, quos extremos Hipp. libro I. Aph. ſententia 6. appellat, in quibus etiam vti tota exquiſitißima curatione docet his verbis. [Extremis morbis, extrema exquiſitè remedia optima ſunt.] Alij verò morbi, qui leues & citra periculum ſunt, purgatione non indigent hac minoratiuorum medicamētorum, quòd hos natura opitulante, recta etiam victus ratione propoſita, ſine vllo medicamētorum vſu, docent medicorum decreta eſſe curandos. Quòd ſi contendas non quidem nocere his paruis ægritudinibus ea mediocria medicamenta, quæ vulgò minoratiua dicuntur, non adhuc efficies, vt illa quicquam prodeſſe poſſint alijs ſummis morbis, quos vetat Galenus minoribus auxilijs eſſe tentandos, lib. 5. de Morbis curandis cap. 15. his verbis. [Minimè igitur, ſicut medicorum non nulli cenſent, à paruis incipiendum auxilijs eſt, nec ſicut illi dicunt ſentiendum, iſta ſcilicet prius eſſe tentanda, mox ſi nihil profecerint, aggredienda maiora.] Quare videant qui in curandis ægris, verioribus medicinæ præceptis inhærere cupiunt, vt poſthac minimè ſuis minoratiuis pharmacis vtantur, quæ ita nihil proſunt, vt à vulgaribus quidem ob aliud oblata ſint, quàm quòd ob illorum in morbis frequentē vſum, aliquid illi etiam feciſſe videantur: quibus quãuis nihil proficiant, lædunt tamen magis ægrotantes. Sed dum hæc ſcribebam memini quendam non postremæ notæ, & vulgaris eruditionis medicũ, hunc vulgarium errorem etiam accuſaſſe, qui ex Græcorum & Arabum auctoritate, verißimis etiam rationibus de-

mon-

monſtrauit, quantum inſaniant, qui ſine vllo rationis examine, in morbis curandis hunc, & ſimiles alios errores perpetrare audent, cui (ne rem faceſſere viderer, cùm hæc aduertebam, quòd rem iam incæptam priùs ab eruditiſsimo viro, veriſsimeq́; comprobatã, iterum meo Marte elaboratam, & veluti à me ſolùm inuentam traderem) ſatisfacere cupio: ſatisfaciam tamen in nulla re magis, quàm ſi hic, & in alijs ſcriptis meis omnibus, illud de viris doctis omnibus prædicẽ, illos videlicet propter raras animi virtutes, & bonarum artium etiam admirabilem cognitionem, quã per varios indefeſſosq́; labores acquiſiuerunt, à me ſemper fore colendos & venerandos, quorũ ſcriptis nec vnquam propter inuidiam, quicquam detrahendum arbitror, nec etiam maledicendum cupio. Nec enim tã inuidus, aut arrogans, ingratusúe eſſe volo, vt bonis, ac doctis ita diſpliciam, vt illorum ſcripta à me ea laude qua digna ſunt, non habeantur, ex quorum lectione nonnihil vtilitatis me accepiſſe, multoties ipſe faſſus ſum.

De vini albi facultate aduerſus vulgarium opinionem, quæ hucuſq; credit illud deſiccandi vim habere. CAP. XVI.



VM ſit receptiſsimum apud omnes, quæcunq; vulgus probat, & paſsim pro exemplis recitat, eſſe admodum veriſsima, nullaq́; indigere alia probatione, quam ita eſſe vulgus fateatur: arduum erit mihi, contra vulgi

opinionē aliquid dicere, aut agere. Verùm, ſicuti ſunt multa vulgò probata, ita non deſunt aliqua, quæ à vero ſunt longè aliena. Quis vinum album reliquis omnibus ſiccandi maiorem vim habere non fatetur? quo nihil eſt mendoſius. Vinum enim album humectandi facultatem habet, quod facilè dinoſces ob ſimilitudinem quam habet cùm aqua, quam ex guſtu deprehendas: ſapit quippe aquoſum quippiam, nullasq; aſtringendi valentiores vires habet, quod eleganter admodum ſcriptū eſt à Galeno in lib. de Boni & mali ſucci cib. in hunc modum. [Huius autē generis vina facilè dinoſcuntur: Primùm, tenuitate, deinde candore, quibus cum aqua potiſsimùm quandam ſimilitudinem habent. Guſtu enim aquoſum quippiam ſapiunt, nullasq; aſtringendi valentiores vires habent, nec vberius dilui patiuntur, vt à priſcis medicis, quod parùm aquæ ferūt, dicta ſunt ὀλιγοφόρα.] Quæ aquoſa etiā vina appellantur ab eodem in comment. Aph. 11. lib. 2. Hipp. & ideo humectandi vim habēt, qua aluū emollire Dioſc. auctor eſt libro 5. cap. etiam 5. Oribaſius item in lib. de Cibis ad Eunapium vinum album humectandi facultatem habere ait. Adde etiam, vt contra vulgares omnes confirmes hanc opinionem, quòd ſcilicet album vinum humidum ſit natura, non ſiccum: omnes namq; medici, qui morbos melancholicos curare aggrediuntur, ſicut quartanam, melancholiam, & maniam, & id genus alios, vinum album propinare conſueuerunt, quod non niſi humectandi gratia factum eſt: morbus malencholicus cùm terreſtris, ac ſiccus ſit, per humectantia curari debet, ſicut alij omnes, quorum per cōtrarium curationes ſunt. Inſurgunt tamen quidam ranciduli

ciduli medici dicentes: Galenum vinum nostrum albũ suo tempore haud cognouisse, & suum, quod ille paucisferum vocat, si ad vinosum (quod Hipp. οἰνώδης appellat) referas: nostrum autem, quod multùm aquæ patiatur, non esse humidæ facultatis, si ad rubrum nostrũ referamus, quò mihi profectò nihil ridiculosius esse potest. Cùm licet nostrum vinum album, Hispaniæ intelligo, Galenus non viderit, nec gustauerit, & fortitudine, vt ita dicam, sui temporis, & regionis vinum vincat, album tamen nostrum relatum ad rubrum, aut ad nigrum etiam nostrum, habebit humectandi naturam, sicut habet Galeni vinum, quod ad alia vina, quæ vinosa dicuntur etiam refertur: sicut enim nostrũ album vinum fortius est, quàm quod ὀλιγοφόρον Gal. appellat, ita etiam rubrum nostrum, vinosum Galeni superabit: vina enim omnia eò inter se offerre dicuntur, cùm singula singulis referuntur. Satis itaq; esse credo, vt confirmatam habeamus nostram de vino albo opinionem: quòd si non rectè aliquis illam nos asseruisse contenderit, damus copiam nostra scripta calumniandi, vt aliquando illi mutuo talione soluamus.

Admonitio in obseruatione venæ sectionis, in mensium suppresione, cõtra scripta medici cuiusdam Salmaticensis & aliorum opinionem. CAP. XVII.



ANTA est nostris his temporibus scribendi cupiditas, vt nihil prorsus aliud animaduertant hodie, qui hac ostentandi se prurigine laborant, quàm vt scribam, rectè, an cõmodè, curam non habent: præsertim illi, qui

alios calumniando in suis scriptis non parùm honoris, ac gloriæ, vendicasse sibi persuaserunt. Verùm, quantùm hoc liberalibus disciplinis officiat, qui sanæ mentis fuerit experiri poterit. Nihil enim magis artes omnes mille vitijs & erroribus, scatere facit, quàm nostri huius dolendi æui frequens componendi libros studium. Quis namq; tam negligens, ac indoctus, verecundus aut patiens, qui Græci sermonis, aut Latini tantillum habeat, non velit statim in quauis arte rectè sentire & commẽtarios lõgos scribere: &, quod peiùs arbitror, cùm plura scribant, nihil tamen dicunt. Tamen, si alijs artibus hoc perniciosum est, nimirum vt maximè, medicinæ, cuius error ac mendacium admodum periculosum est, cùm de hominum vita agat, qua nihil excelentius in terris est, erit & perniciosißimum. Quò fit, vt qui fuerit verus huius artis alũnus, vix patiatur vnquàm, ita in illa paßim mentiri, illos, qui in vsum Reip. litterariæ scribendi prouinciam suscipiunt. Quare, nõ possum probare quæ passim scripta video, cum veterum medicorum eruditione pugnantia, quorum, vt obiter aliqua ostendam in communem vtilitatem, dicam quæ sentio de scripto quodam medici cuiusdã Salmanticẽsis doctoris, quod nuper ad manus meas venerat, in quo, quamuis neglecto quidem sermone, non imperitè tamen, non nulla tradebat de venæ sectione in morbo laterali, cuius curandi prauus vsus quantùm incommodi attulerit generi humano, nullus est qui nesciat, nisi aliquis fuerit carnifex Scytha, nõ medicus. Continebat itaque, cùm de venæ sectione ageret, Salmanticensis ille doctor, non pauca de sanguinis mißione in mensium sup-

ſuppreßione, vbi dicebat cum Matthæo de Gradibus, non ſemper à nobis mordicus tenendum eſſe Galenum, quòd dixerit in menſalium purgationum retentione, ſemper ex tali vena eſſe vacuandum, quòd ex Pauli, & Aëtij ſententia, præſente plenitudine, baſilica eſſet ſcindenda. Quod non ſolum Salmãticenſes ferè omnes ſeruandum conſulunt, verùm & Olyſipponenſes medici non pauci, qui citra vllum diſcrimen, nec examen, in mẽſtruorum retentionem priorem venæ ſectionẽ ex baſilica faciendam iubent. Qua in re, illos non citra erroris notam culpandos eſſe, facilè iudicabit qui Galenum legerit, qui in lib. de Curand. ratione per ſanguinis mißionem ita inquit. [Vacuationibus enim, quæ in gibbero fiũt, aliud etiam quoddam accidit malum, quippe menſtruas purgationes ſupprimunt, eò quod ſanguinem ad ſuperiora corporis reuellunt. Quæ verò ex cruribus fiunt, non ſolùm reuellunt, ſed & menſes euocare ſolent.] Qua ſententia docet in vteri inflammatione perpetuò venas quæ in cruribus ſunt, eſſe ſecandas, quòd per id auxilij genus ſanguis deriuetur, & menſes prouocentur, quòd & Gal. etiam docet eſſe faciendum lib. 2. Artis curatiuæ ad Glauc. cap. 2. ita inquiens. [Deriuabis, ſi quæ in poplite ſunt venas diuiſeris. Contra tamen fit in vena ſectione, quæ fit in Gibbero, quòd ſcilicet hæc, ab vtero tantùm ad ſuperiora retrahat, & non deriuet, immo mẽſtruas purgationes retinet. Nec etiã audiendi ſunt, qui dicunt, ſicut in renum inflammatione non ſemper ex crurum venis, immò ex Gibbero ſanguinis mißionem faciendam Gal. docet, vt quãdo videlicet inflãmatio recẽs eſt, & copia ſanguinis adeſt,

quòd

quòd tūc reuulsione sola succorum ad renes confluē-tium indigemus, non tamen deriuatione: nulla enim humorum pars saltem effatu digna, adhuc renes circunstat. Accedit etiam quòd renes ancipites partes sunt, qui ad superiora vergant & ad inferiora, quibus vtrinq; venæ inhærent: vterus tamē per venas crurum nutritur, per quas quod retentū est vacuare oportet, nō per venas aliūde ortas. Non desunt etiā, vt audio, alij, qui hac ratione argumētantur. In hæmorrhoidum prouocationis curatione brachij vena scinditur, ex sentētia antiquorū medicorū, Galeni etiā: cur igitur in mēsiū suppreßione eadē nō scindetur, cū venæ partiū inferiorū, eosdē locos passos nutriant? quibus respōdemus, quia scilicet mēstruæ purgationes naturales sunt, et ad feminarū corpus expurgādū à natura institutæ, quas si prohibeamus, rē naturæ facessere videbimur. Hæmorrhoides tamen, quia si immoderatiùs fluant, quod à natura sicut menstrua, non fiant, corpus immoderatè refrigeratum reddere possunt, propter immoderatam vacuationem: rationi consentaneū est, vt aliquando in hæmorrhoidū curatione venam gibberi scindendam iubeamus, ne forsan ex crurum venarum sectione immoderatam fluxionem prouocemus.

Rursus, sunt alij, inter quos Amatus Lusitanus est, & Donatus Antonius Altomarus, viri profectò, qui ab omnibus ob eorum singularem doctrinam, raramq; eruditionem laudentur, & colantur, qui ex sententia Pauli & Aëtij credant, plenitudine præsente in mensium retentione brachij venam secandam esse. Verùm, Paulus lib. 3. cap. 60. vbi de Suppreßione mēsiū agit, ita inquit: Menstrualem purgationē interdum suppri

mi

mi affecto toto corpore, cui vniuersali totius corporis affectui non negamus cubiti venæ sectionem vtilẽ admodum esse. Quòd si ob venarum vterum nutrientium plenitudinem menstrua retinentur, sicut ex multis caußis alijs fieri solet, perpetuò, & sine vllo discrimine, ex crurum venis sanguinis mißio facienda est, nunquam tamen ex Gibberi venis: quippe ab illis sanguis missus menstruas purgationes sursum reuellit, vt superiùs diximus, & Gal. etiã tradit lib. 5. de Morbis curand. cap. 3. & 2. Artis curatiuæ ad Glauc. cap. 9. quibus Paulus & Aëtius apertè cõtradicerẽt quod de illis minimè credendum est. Sunt enim veluti Galeni Simiæ, nisi intelligeremus illorum placita, vt suprà exposuimus. Nec sufficit Donati Antonij ab Altomari inter Galenum & Aëtiũ conciliatio, cùm dicit Aëtium magnam supposuisse plenitudinem, quæ cùm copiosa euacuatione indigeret, vires tamen, aut reliqua minimè permitterent, ob id cubiti venas primò, deinde eas quæ in talo sunt secari iußit, vt ex vtriusque simul tanta poßit sanguinis copia euacuari, quantam vnica sectione plenitudo requirebat. Galenus verò nõ adeò magnam plenitudinem inspiciens, & ex aduersò vires robustas, in mulieribus plenitudine laborantibus supponens, eandem in poplitibus seu tali venis venæ sectionem fieri, decretum reliquit. Quod ex eo verũ esse nõ potest, quòd scilicet nõ semper in mẽsiũ retentione, ea præcipuè quæ fit propter plenitudinẽ venarũ vterũ nutrientiũ, copiosa sanguinis detractione opus est, quod Aëtius ignorare non potuit, qui docuit eas quæ ob plenitudinẽ, nõ purgãtur venæ sectione curari, nõ tamẽ copiosa, vt sibi persuasit Altomar⁹.

De malo communi medicorum vsu, in exhibitione seri (quam aquā lactis appellant) quòd scilicet sub Diuo illam exponendam iubeant, antequàm sumatur.

CAP. XVIII.



NNO præterito, Lutetiam iter faciens, & Aureliam præteriens, reperi in quodam pago non longè ab vrbe, vbi quiescendi gratia me receperam, medicum quendam Britonem probum quidem & doctum virum, & in studijs medicinæ satis versatum, quem cùm salutassem, meq́; etiam ille salutasset, statim domum, quā ille in hospitium susceperat, ingressus sum, vbi ab illo humanißimè, & liberalißimè sum susceptus, quòd intelligeret à mercatore quodam Gallo, qui in itinere mihi comes fuerat, me suæ artis professorem esse: vbi postquàm mensæ accubimus, dubiaq;, & lauta nobis cœna apposita est, cœnauimus etiā non auarè. Ancilla, quæ nobis in mensa inseruiebat, diligenterq́; omnia ministrabat, quòd sentierat nos medicos esse, statim post cœnam nos consulit, quonam auxilij genere, ab impetigine magna, quam in brachio sinistro habebat, liberari posset, cui medicus ille Brito respondit, sumpto seri lactis Diuo expositi, serenatū dicunt, ciatho pleno, summo manè & ventriculo ieiuno, per septem dierum spatium, mirum in modum proficere: quod cùm ipse audirem, vix potui contineri, quin illum reprehenderē, propter malum illū exhibendi seri lactis ita Diuo expositi ordinem: verùm nolui tamen acriter

aut clamosè illius sententiam damnare, ne molestus, & inurbanus viderer illi, à quo beneficium & gratiam acceperam: promisi tamen, aliquando illi ostensurum scriptis meis, quàm falsa esset illorum sententia, qui serum lactis Diuo exponēdum esse iubent. Posteà verò cùm medicum salutatum reliquissem, meq; iam Antuerpiam contulissem, non nulla quæ à me de hac re scripta erant reuidens, & relegens, quæq; in examine seri lactis olim annotaueram, meis scriptis adiungenda curaui, quæ in hunc modum habebant. De seri lactis facultate variæ sunt medicorum sententiæ, inter quos Ioannes Mesuas medicorum Euangelista dicit calidæ complexionis esse & siccæ in primo gradu, vsq; ad secundum, cui astipulantur Auicennas, & Isaac in Diætis partic. cap. de lacte. Verùm Galenus frigidum & humidum esse statuit lib. 4. de Simpl. Medicament. facult. his verbis. [Ex tribus enim substantijs, qualitate dißidentibus, veluti supra dictum est, constat. Prima quidem crassa, ex qua caseus conficitur, altera pingui, ex qua butyrū, & tertia aquea, quod serum nuncupamus. Verùm ex his pinguis quidē vel maximè temperata est, crassa verò paulùm ab ea declinat, at excrementum illud serosum, & frigidum & humidum est.] Qui solus Galeni locus satis erat, ad explorandam & probandam seri lactis facultatem, quæ frigida est & non calida. Verùm ne sine ratione, nixi solùm verborū auctoritati, nostram videamur probare sentētiam contra Mesuam, cuius in huius generis rebus auctoritatem non parùm valere credimus: hîc Ioannis Manardi de hac re sententiam afferam, qui lib. 16. suarum epist. epist. 5. in hunc modum

dum in Mesuam agit. Nam si serum calidum esset, cùm butyrum pars lactis sit calidum temperatum, & caseosa substantia modicæ frigiditatis existat, vniuersa lactis substantia calida potiùs, quàm frigida redderetur: cuius contrarium sentit Gal. lib. 4. de Simpl. medic. facult. cap. 16. Item si serum calidum esset. Lac eò esset calidius, quò serosius, consequens falsum, cùm lac asininum quòd maximè serosum est, multum sit frigidum, alioqui præ ceteris in hectica febre non eligeretur. Quibus apertè constat Mesuam errasse in explorandа seri facultate, eò quòd illud calidum esse dicat. Nec sufficiens est conciliatio Pamphili Montij, qui ex sententia cuiusdam noui doctoris inquit, quandam esse aquã lactis, quæ ex lacte coagulato, non per ignem, sed flore aliquo coagulato, egreditur, quandam verò etiam aquam lactis esse, quæ propriè aqua casei & serum dici debet, quæ ex lacte egreditur, dũ ex eo butyrum & recocta per decoctionem extrahitur, quæ nitrosam & acutam habet substantiam, eãq; calidam esse Galenus ait lib. 3. de Aliment. facult. cap. 16. Et primam esse frigidam, in quam aquosæ lactis partes coagulatione resoluuntur absq; ignis instrumento. Quod non valet quidẽ ad conciliationem Mesuæ & Galeni: quòd scilicet Gal. nullam prorsus fecit mẽtionẽ de Prima aqua lactis, quia nõ est omnino separata à butyro et caseo, nec serũ, quod alui ducẽdæ gratia ab antiquis medicis offerri solet, appellari debet. Hæc tamen libuit priùs adducere, vt seri facultatem intellectam haberemus, antequàm illius exhibendi vulgarem vsum calumniaremur, qui eò magis ab omnibus etiam reprendendus est, quò seri facultas manifestior

festior

festior est. Serum itaq; frigidum est & humidum, subducendi etiam vim habet, quod quãtùm ab alia lactis natura succi bonitate superatur, tantùm alia omnia, quæ ventrem deijciunt, superat: ob quod veteres ad aluum subducendam, hoc potu plurimo vsi sunt, idq; mellis & salis æqua mẽsura adiecta, quo & suaue red datur, & magis aluum deijceat, vẽtriculumq; minimè subuertat; quæ omnia seruanda sunt in seri lactis sumptione: vnde damnandi sunt, qui illud citra vllam rationem sub Diuo exponendum iubent, quòd partes quædam subtiles, quæ purgandi vim habent aëre consumantur, frigidiusq;, quàm anteà erat, redditum est, quò fit vt sua frigiditate & ventositate iã ab aura noctis acquæsita, robur deijciat ventriculi, cuius roborandi in febribus maxima semper cura est habẽda. Præter id etiam, quòd ventriculum lædit, etiam parùm aut nihil aluum subducit, quia acrimonia illa quæ, teste Galeno, purgandi vim habent, consumpta est ab aëre noctis frigido. Quòd si dicas serum Diuo expositum ad infrigidandum multò magis valere quàm recens, vt separatur à caseo, ad deijciendum tamen minùs, longè quidem deciperis, quòd videlicet ad aluum deijciendam, eo solùm veteres medici vsi sunt, vt Gal. auctor est lib. 10. de Simplic. medic. facult. cap. 9. Si tamen illud frigidius & humidius reddi volueris, flores & herbas eidem adijcere poteris, quarum facultas eius vim augeat, vt minimè ventriculo negocium facessat, prosit tamen ingenuè. Notamus prætereà modum extrahendi seri lactis ex coaguli coagulatione, extra veterum medicorum sententiam, à neothericis fieri, quem Laurentius Alderitius olim Salmanti-

censis scolæ medicinæ professor in quibusdam suis ad Auicenn. scriptis, meliorem omnibus esse inquit, cuius diligentia in curandis ægris, cùm apud Gallos medicos de Hispanis medicis incidisset sermo, à me sæpenumero laudata fuit: quod tamen ad medicinæ candorē, cultumq; litterarum attinebat à me semper non tanti æstimabatur, vt multos Hispanos, qui adhuc viuunt, non pluris quàm illum faciendos esse crederem, præsertim illos qui hoc tempore Salmanticæ medicinam docent, quos longo interuallo præteritos medicinæ professores superare audio. Ceterùm, quantùm in separandi seri lactis ordine vulgares medici decipiātur, cùm ipsum à coagulato caseo extrahunt, qui aut coagulo, aut carduo coagulatus fuit, Galeni sententia probat, qui lib. 4. de Vict. ratione in morbis acutis cōment. 7, præcoquendum lac docet, & imponendum in ipsum oximel, aut vas æneum frigida plenum. Cui sententiæ, ne fides Galenicæ orationis deesse videatur, verba ipsa citare volui, quæ in hunc modum habent.

[Sed sanè solo vti sero poteris, per oximeli ipsum, vbi lac ante coxeris, separans. Vas quoq; æneum frigida plenum aqua, continenter in lac demittes. Nam, hæc probè si fiat demißio, serum à caseo separat.] Nec tamen mirandum est si hoc loco Gal. iubeat aquā immiscendam esse, quæ fortaßis sua frigiditate & humiditate nocere poterit, ea tamen non solùm non nocet, verùm sero multo purgandi vim adauget, quod Galenus vt ille solet, elegantißimè tradit lib. 3. de Aliment. facult. cap. 15. in hunc modum. [Quin & aquā etiam affundere, securius fuerit, vt pleriq; medicorū factitant. Neq; mirum tibi videatur, quòd sero con-

sum-

ſumpto, rurſus aquam infundant. Non enim ſeri humiditas eſt, quam fugiunt, ſed acrimonia: cuius occaſione lac aluum ſubducit, ex ſubſtantijs contrarijs miſtum, ſero ſcilicet, & caſeo.] Parandi etiam ſeri modum Aëtius tradit, qui per decoctionem etiam fit, in ollam videlicet nouam iniecto lacte, & virgulto ficus moto, cumq; terq;, quaterq; deferbuerit, aceto mulſo irrorato, deinde poſteà excolato. Cuius ſeri vſum multis iam vtilem fuiſſe experti ſumus.

Quod Zizipha, quas iuiubas appellát, nec omnino ab omnibus ægritudinibus eſſe explodenda, vt noſtri temporis ſcioli quidam voluerunt. CAP. XIX.



VELLEM eo animo omnes meas acciperent nugas, vt nihil magis alienum à nugis eſſe crederent. De rebus enim quorum non parùm intereſt, nugas dicas, aut vera loquaris, vix poſſum dicere aliud præter verum. Nec enim probi hominis eſt libenter affirmare falſa pro veris, & vera pro falſis, quorum vtriuſq; ſingulis artibus admodum periculoſum eſt, præcipuè medicinæ, cuius mendacio nullũ eſt periculum maius, in qua, quod dolendum eſt, tot reperiuntur errores, quos barbarorum vulgus ita obſeruat, colit, ac veneratur, vt illis nihil veriùs eſſe credat: cuius rei cùm ſint innumera exempla, hoc vnum afferam de fructu Ziziphorum, quas iuiubas appellant Arabes, deq; eius ſyrupo quem ſine vllo rationis examine, medici neo-

therici tußientibus propinare solent. A fructus igitur facultate exordiamur, an iure damnandus aut eligendus sit eius vsus. Serica seu Seriaca, Latinis Ziziphα, Arabibus Iuiubæ vocata, frigida in primo ordine, in siccitate tamen, & humiditate temperata sunt. Verùm, auctore Galeno lib. 2. de Aliment. facult. cap. 32. reprobatur eorum vsus, his verbis. [Nec quidē ausim affirmare, quicquam ad sanitatis tutelam, aut ad morborum profligationem pertinere. Mulierum enim ac infantium effrenatorum est eduliũ, quod exigui est alimēti, ac concoctu difficilis: & præterquàm quòd stomachum non iuuat, parùm alimēti etiam corpori exhibet.] Vnde non parùm errant, qui hæc poma (inter poma enim numerantur ab auctoribus, passim deuorant, ob id fortè, quòd non nulla illis saporis gratia inest: multò tamen magis decipiuntur vulgares medici, qui pro attenuanda materia illorum syrupis & decoctionibus vtuntur, & nulla sit pro thoracis pectoris & pulmonis morbo ferè decoctio, quæ illa non recipiat ad attenuandum videlicet, cùm incrassandi potius vim habeant auctore Auicenna, lib. 2. tract. 2. cap. 369. his verbis. [Conferunt acuitati sanguinis calidi, & existimo quòd illud est propterea quòd incrassant sanguinē, & viscidũ faciunt ipsum.]

Ex quo loco mirari subit barbarorum medicorum ignorantiam, qui Auicennæ dicta Pythio Apollinis veriora esse credunt, ita ab eius placitis aberrent, credētes iuiubas extenuandi materias vim habere. Quod tamen Germanus quidam medicus, cuius nomen ob id reticeo, quod apud nos inuisum esse solet, vitio vertit Auicennæ, quòd dixerit iuiubas tußi conferre, nō

qui-

quidem probamus, quod asserimus propter dulcedinē quam habent emollientem, pectori conducere, quò fit vt tußientibus ex subtili & calida materia, quæ opus habet incrassatione sputorum non parùm conducant: & sic Galenus libro de Constitutione artis medicæ inquit, tenue in crassum esse reddendum, morbis verò qui subtiliatione humoris indigēt, temerè serica propinātur. Notamus vltrà, sericorū vsum non esse prorsus damnandum in variolas patientibus: veterum enim medicorum præceptis docti sumus, incrassantibus sanguinem in hoc morbo vtendum esse, vt sunt Zizipha, & lenticularum iuscula, quæ sanguinem subtilem in crassum redigunt, ne ad cutim perueniat. Lenticularū tamen vsum nec omnino aspernandum esse credimus cum Galeno, qui in libello de Attenuante vict. ratione, in hunc modum ait. [Lentes autem tametsi succū crassum generent, non omnino sunt aspernādæ.] In lateris tamen dolore, ob astringentem vim quam habent, admodum capitales sunt. Hæc obiter, ac veluti per transennam à nobis dicta sunt delentibus. Quòd tamen ad serica ampliùs spectat, nemo mihi persuadebit deceptum fuisse Auicennam, quòd dixerit serica pulmoni, & pectori conferre, intelligendo solùm de fructu, & non de folijs, ac radice. Non enim Auicenna vsquam fructus meminit, cùm dixit pectori & pulmoni conferre. Nec tam citò errare debuit, qui dudū dixerit Iuiubas vim habere ingrossandi, quæ pulmoni & pectori nocet. Cùm ergo dixit pulmoni & pectori conferre, est intelligendus corticis & radicis succus ex melle coctus, qui tußim sedat, Plinio Valeriano auctore, lib. 4. cap. 46. quam tußim ortum habere

posse à pulmonis, vel pectoris vitio nemo est qui inficias ire debeat: ex quo dicimus illum Germanum admodum licentiosè contra Auicennam egisse. Tu tamen candide lector, meam sententiam lege si velis, & si arriserit tibi, meo labore libenter fruere: sin minùs, gratias agas alijs, qui suo ingenij lumine, Arabum tenebras extinxerunt, & bene vale.

Contra Hieronymum Cardanum Mediolanensem medicum, quòd oua posśint dari febrientibus. CAP. XX.



SAEPENVMERO mihi ipsi molestus sum, quòd ea mihi fortunæ conditio obtigerit, vt vix eos noscam, quos audio hac nostra ætate in medicina alijs etiam artibus esse præclaros. Nihil enim magis cupio, quàm illorum legere scripta omnia, vt agnoscã quantùm his doctis viris debeam, reddamq; illis gratias, quòd eorum lectione doctior euaserim. Verùm, sicut libenter doctos amo, ita imperitos libentiùs abhorreo, quòd liberaliùs institutos insanire doceant, efficiantq; in quouis artium genere, vt non pauci sint, qui ignorent, quæ ad verè dicendum necessaria sunt, quæ tamen ad bene dicendum pertinent, multò peiùs nouerunt. At, quando illorum lego scripta, qui suis studijs præclarum nomen acquisiuerunt, illa iterum ac iterum lego, & pensiculatim excutio, donec inueniã aliquid aut laudatu, aut notatu dignum: polliceor statim me dicturum de re quam notaueram, quod sentio,

quòd

quòd mihi Hieronymi Cardani Mediolanensis medici, libellum legenti de malo medicorum vsu obtigit, vbi quosdam, vt ille appellat, medicorum errores libere reprehēdit, cui meū hac de re molestū erit iudicium, quòd non nulla quæ ipse scribit parùm probem, inter quæ tertium errorem pro aris & focis defendo, quo negat febrientibus oua danda esse, quòd profectò non ipse affirmasset, si non ita obliuioni traderet, quæ magnus scripsit Galenus, quòd si non oblitus est, humanioribus fortè studijs occupatus, quorum ille amantißimus videtur, haud potuit videre, quæ de ouis libro 12. de Morbis curandis cap. 6. [Dabis, inquit, verò aliquando ijs oua, præcipueq; illorum vitellos.] Sed quid ni offerri debeant, cùm inter subtiliorum classem, quæ febrientibus conducunt numerātur? Quod nec temerè Auicen. cuius auctoritas apud multos non parùm valet, 4. 1. tract. 2. cap. de Cibatione febricitantium in generali, his verbis expreßit.

[Et subtiliores eis sicut Alchanzi, & oua sorbilia.] Ad hæc, præcontarer libenter Cardanū, cur ita ouorum vsum damnare studit, cùm oryzam febrientibus potius conducere scribat, quam multum peioris esse alimenti propter vim supprimendi alui quam habet, & quòd etiam difficilis sit cōcoctu: deinde si hæc apud illum parùm valet ratio, multò minùs valebit apud Galenum illius etiam auctoritas, qui lib. 1. Artis curatiuæ ad Glauconē vbi tertiana febre affectis oua esse danda ita persuadet. Sed & oua ad sorbendum sunt offerenda, & præsertim vitelli eorum, nam ij faciliùs, quàm pars alba, concoquūtur. Qui legerit hæc, Cardani non multùm laudabit sententiam, quam libe-

rè admodum, & arroganter de hac re tulit, sicut etiã nec probabit, negandum scilicet esse ægris carnis cõtusum, vt in cap. 4. libri superiùs citati asserit. Cùm constet etiam Galenum eodem loco prædicti libri carnem liquefactam tertiandrijs dedisse, quod ab illo nec stultè factum esse credendum est, quòd is fuerit Galenus, qui veluti norma, & exemplar totius veritatis iure habendus est, nec debuit facilè mentiri, quem vniuersus orbis vnicum medicinæ ducem existimauit, quiq; , vt sui ipse testis est, veritatem ipsam mirificè excoluit. Quòd tamen ad aquam carnis attinet, quæ igne per Alambichium, vt vocant, exprimitur & destilatur, qua vulgares vtuntur medici, & Cardano etiam reprobatur: ego illam etiam minimè laudo, quòd subtilis, & succulenta carnis pars, quam substantialem dicũt, igne exhausta est, redditaq; deterior, quàm sit ipsa caro si contundatur: quò fit, vt sicuti tantopere nobis Cardani displicuit reprehẽsio de ouis, ita non parùm nobis arrisit eius sentẽtia de aqua carnis, quæ quanto errore cum auro, & gemmis, instillata, ad inanita corpora reficienda offeratur, alibi dicemus.

Contradictio Hipp. & Galeni de Allij natura, ac viribus. CAP. XXI.

MIRVM est profectò, quanto dolore, & animi affectu in memoriam reducere soleo, illum meum, immo omnium, qui in medicina bene mereri volunt communem præceptorem Augustinum Lopium, studij olim Salman-

ticen-

ticensis verum medicinæ magistrum, qui, sicut animū præclaris virtutum dotibus exornatum habuit, ita illos, quos docuit tam præclarè instituit, non solùm litteris, sed & optimis moribus exornauit, vt ab illis nō solùm præceptor, sed communis pater habendus sit: cuius obitum nisi mœstißimè dolerem, nec vllum erga tam venerandum senem, Salmanticæ dum agebam, grati animi pijq; ostenderem. Ad me cum illo deambulantem, acceßit Martinus quidam adolescens medicinæ studiosus, & etiam in litteris Græcis, ac Latinis satis peritus, his solùm studijs apud omnes notus. Satis, inquiens, intelligo, quantùm valeas in Galeni scriptis, quantumq; studij, ac diligentiæ in illis intelligendis ac examinandis colocaueris, ob id cùm hîc habeamus nostrum venerandum senem, qui facilè quæ dixeris, si rectè dicta sint, laudabit. Si verò perperam quid asserueris, docebit: oro te vt mihi diluas cōtradictionem, quam apud Galenum & Hipp. inuenio de Allij viribus. Hipp. enim 4. de Victus ratione in morb. acut. parùm ante finem. [Allium, inquit, flatum & calorem circa thoracē facit.] Galenus verò Hipp. verus, ac vnicus interpres è regione allium flatus discutiendi vim habere scribit lib. 12. Method. medend. cap. 8. in hunc modum. [Est enim profectò ex eodem ciborū genere, qui flatū discutiunt.] Quæ cùm audissem, vix poteram mihi persuadere ita pugnare posse ex diametro, vnam & eandem mentem in omnibus, quæ ad medicinam pertinent (ita enim de Hipp. & Galeno iudicare consueui.) Verùm cùm in animum recolo meū, illos discordes nec mirum esse debere, cùm & hominis animus quamuis vnus sit solùm in omnibus rebus, quæ

ad sui moderationem pertinent, vnus & idem non semper constat, imò quod sapit, sæpè ignorare visus est: & quod ignorat, se sapere contendit. Respõdeo itaq; adolescenti illi, Galenum, inquam, me existimare suiipsius interpretem esse, si quando videatur Hipp. repugnare dictis. Verùm, quia nos aliò occasio vocat: postea, si per ocium licuerit, aut ad te ibo, aut scribam, quò magis me tibi credo futurum esse gratum, quòd sciam te multùm delectari amicorum litteris, vt satisfaciam contradictioni, quam mihi proposuisti.

Posteanon potui per negotia, ac occupationes, (quæ animum ad aliena diuertunt) adimplere quod promiserã. Tamẽ in meis chartis scripsi locos illos Hipp. ac Galeni quos pugnare dicebat inter se ille adolescẽs, quos cum (modò voluens non nulla quæ in meis albeolis reseruaueram) legerẽ, subijt statim illius ingeniosi adolescentis pariter & amici mei, immo & omnium quos in illa præclara mea, & omnium bene de litteris meritorum parẽte Salmantica noueram, summa recordatio, qua incredibile est profectò, quantùm ipse delecter, subijt etiam tot nobilium ac doctißimorum hominũ dolor recordationis, quòd non licuerit perpetuò me cum illis suauißimè ac dulcißimè viuere, quò factum est, vt perpetuò etiam aliorum, qui me diutiùs ibi morari potuerunt, fortunæ inuiderem. Quare scripta, quæ, Salmanticæ dum eram, aut ab alijs accepi, aut in meis libris annotaui, eo solùm nomine, quòd ibi scripta sunt gratißima mihi eße solent. Legẽs itaq; contradictionẽ dictam superius de Allij natura, quod discutiendi flatus vim habere scribit Galenus, inueni Dioscoridem, quem à quouis, qui in medicamentorum

materia peritus eſſe ſtudet, legendum eſſe Galenus docet, lib. 6. de Simplicium medicamẽtorum facultat. allium flatum promouere ſcribit: quo loco eandẽ ſententiam habet cum Hippocrate, 4. lib. de Victus ratione in Morbis acutis. Sed cùm hæc legerem, mirabar profectò magis ac magis Galenum, qui Dioſcoridem ferè ſemper, præterquàm in vno, aut altero loco, quos adhuc legerim, veluti ducem in his, quæ ad Simplicium medicamẽtorum peritiam attinet, ſecutus eſt, ita ab illius placitis palàm diſſentire. Verùm enimuerò ſi Dioſcorides locum ſic intelligas, vt ſi alliũ corpori prauis ſuccis redundanti dederis, flatum quidem mouet, ſi tamen non vt obſonium, ſed vt ſalubre medicamentum corpori vacuato obtuleris. Dari enim poteſt vtriuſq; loco, Galeno octauo Simplicium medicamẽt. auctore, diſcutiẽdi flatus vim habet, ex quibus facilè conciliari poßunt loci Hipp. & Galeni, & Dioſcoridis, qui ex diametro pugnare videbantur.

De victu & natura Piſcium ſaxatiliũ aduerſus vulgares medicos, ad D. Doctorem Nicolaum Biczium ſtudij Louanienſis Archiatrum. CAP. XXII.



MISERAM ad te litteras præteritis diebus, cùm primum ſcirem in Luſitania, te ad illud tuæ eruditionis meritißimum præmium euectum eſſe, quibus ex animo gratulabar: non ſolùm de illo tuis meritis dignißimo præmio, quod Philippi veſtri, & Hiſpaniarum ſerenißimi

nißimi Regis, iussu & fauore, Dei etiam benignißimi largitate, qui, mirum est, quam semper bonis faueat, adeptus es. Verùm omnibus etiam, qui veram medicinæ cognitionem hinc conabantur, quiq; magis limpidißimam aquam, potiùs ex ipso fonte, quàm ex fœtidis lutulentisq; lacunis exhaurire atq; degustare cupiunt. Lætabar etiam Louanio præclarißimo litterarum emporio, quòd talẽ te nactum fuerat virum, quali iam pridem opus habebat. Verùm incuria tabellarij factum est, vt meas litteras non accepisses, quò mihi nihil acerbiùs esse potuit, cùm is semper esse velim, qui veterum amicorum nec obliuiscar vnquam, immò semper qua amoris fide, et animi integritate, ipse possum, aliquo obseruationis inditio, me apud illos non ingratum esse ostendo, à quibus gratiam & amorẽ aliquando acceperim. Quod cùm in animũ induxerim meũ, volui aliqua officioli, quod modò in me erat, significatione tibi declarare illam, quam erga te habeo, animi propensionem, & quidem, meo iudicio, nulla alia in re magis me tibi fore gratum intelligo, quàm si tecum de his rebus agam, quibus fortaßis maximè delectaris, & quæ, vt suspicor, aliquando animaduertisti, hoc est de Piscium saxatilium natura ac victu, cuius rei examen non parùm meum distorquebat animum, propter contumacem, ne dicam insanam, quorundam Salmanticensium medicorum opinionem, quorum scripta mihi nuper tradita fuerunt, in quibus habent pisces omnes paruos, qui in fluminum aut fluuiorum saxosis locis nascuntur, ac degunt, saxatiles esse, sicut sunt Trottæ, Bordalilli, & Bermejollæ, quos illi ita suo nomine appellant, quos tutò febrientibus dari pos

ſe affirmant : quod ita quibuſdam compendiarijs, ac ægrorum mancipijs medicis perſuaſerunt, vt vix credas, quãto labore, hanc prauam hæreſim cum alijs huius monetæ, ab illorum animis depellas. Verùm quàm ignoranter, ac temerè huiuſmodi falſis opinionibus adoleſcentum animi imbuantur, cùm in omnibus meis ſcriptis, quantùm potui oſtenderim: hic tamen minimè oſtendam illos calumniandi gratia, ſed vt ex Galeni ſentẽtia omnibus innoteſcat, piſciũ ſaxatiliũ natura, ac illorũ alimẽti probitas, quiq; verè ſaxatiles appellandi ſint. Galenus itaq;, quo auctore nihil contrà quenquam dicere nobis verum eſt. lib. 3. de Aliment. facultat. cap. 3. in hunc modum ſcribit. [Piſces ſaxatiles nec alimenta, nec loca mutant, nec dulcibus aquis vtuntur, ob eamq; cauſſam omnes perpetuò inculpati ſunt.] Et cap. 28. eiuſdẽ libri etiam ita inquit. [Scaurũ, Merulam, Turdum, Iuliam, Fucum, Percam, à locis in quibus verſari comperiuntur, piſces ſaxatiles appellant. Non enim in leuibus aut terreis littoribus, ſed in petroſis & promontorijs, & vbi ſaxa ſunt deliteſcunt, ac pariunt.] Ex quorũ locorum narratione ſaxatiles piſces ſolùm ſunt, qui in ſaxoſis maris locis naſcuntur ac viuunt, quiq; nec dulcibus aquis vnquàm vtuntur: reliqui verò, qui in ſaxoſis fluminum aut fluuiorum locis pariunt, ac verſantur, qui febrientibus vulgò offerri ſolent, non ſunt inter ſaxatiles piſces numerãdi, qui citra noxam ægris cõceduntur. Hi enim ſolùm marini ſunt, & inter maris promontoria naſcũtur ac degunt, & ob id inculpati ſunt, quod etiam cõfirmari poteſt Columellæ non infimi auctoris ſentẽtia, qui IX. lib. de Re ruſtica cap. 16. ita inquit. [Optimè

ſaxo-

saxosum mare nominis sui pisces nutrit, qui quòd in petris stabulentur, saxatiles dicti sunt.] Quos facillimos concoctu esse, & eorum alimentum hominum corporibus saluberrimum. Galenus etiam auctor est eodem 3. Aliment. lib. 6. cap. & eodem quoq; capite à nobis citato in hunc modum. [Porrò alimẽtum, quod ex eis sumitur non modò ad coquendum est facile, sed hominum etiam corporibus est saluberrimum, vt quod sanguinem medium consistentia generet, medium autem voco, qui nec admodum tenuis est, nec aquosus, nec vehementer crassus: idq; etiam confirmatur Athenæi auctoritate lib. 8. qui ex Diphili medici commentarijs, pisces saxatiles boni & leuis alimenti esse ait, eos tamen marinos esse intelligendos non fluuiatiles dicit. Nec enim saxatilium piscium ex fluuijs vnquam Galenus meminit, vt illos alijs salubribus cibis æquaret, sicut saxatiles marinos pisces lib. 8 de Morb. curandis cap. 5. post ptisanæ cremorem & lactucam iubet esse dandos, & gallinaceis, & phasianis esse præponendos. Quò efficitur, vt ij saxatiles pisces marini saluberrimi sint, quibus, si vellem, auderem dicere & probare, nos posse salubriùs, quamuis non ita fortiùs viuere quàm carnibus, idq; ita persuadebo. Nam dico salubriùs eos viuere, qui eo aluntur sanguine, qui nihil excremẽtitium, crassum, nec admodũ tenue, aquosumue habeat: quæ enim aquosa pituitosum: quæ tenuia nimiùm & calida sunt, biliosum: quæ verò crassa melancholicum succum generant. At sanguis ex temperato & mediocri calore nascitur, vt Gal. auctor est 2. de Naturalibus facult. illa verò, quæ aliud à sanguine generant, excessum quendam in nostris cor-

pori-

poribus efficiunt, ex quo morbi fiunt. Alimenta verò quæ medium ſanguinem generant, nullum exceſſum habent, quo intemperies inæqualis oriatur, ſed vitam ita obſeruant, vt difficiliùs in ægritudinem incurrant ac labantur, ſi omnia alia ſeruentur, quæ in cuſtodienda ſanitate ſunt facienda: quæ cùm ita ſe habeant, piſces ſaxatiles ſaluberrimi cēſendi ſunt. Si tamen hæc mea, Biezi amiciſsime, de piſcium ſaxatilium ſententia tibi diſplicuerit, fac vt me erroris admoneas, vt in alijs meis ſcriptis fatear libenter illum, ac tibi etiam veluti alteri Ariſtarcho gratiam referam. Vale.

Relectio in illud Hipp. ſexti Epidimiωn part. 2. Aph. 13. Nihil, videlicet, temerè committendum, nihil etiam negligendum, ad eũdē D. Doctorem Nicolaum Biezium.

CAP. XXIII.



SCRIPSI anno præterito commētarios quoſdam in nonnullas Hipp. ſentētias, quæ mihi inter multas eius præclaras ſelectiores viſæ fuerunt, vt eos adiungerem etiam alijs ſcriptis meis, de varia rei medicæ lectione, & iniuria temporis factum eſt, vt in lucē non ederentur, quod mihi non parùm moleſtum fuit, quòd meo labore, & ſtudio, ſperabam proficere amicis quibuſdam à me opus illud efflagitantibus. Verùm cùm ob hominum quorundam inuidiam magis, quàm ob aliā cauſam lucubratiunculas illas meas in vulgus non ederem, vt me charum ac beneuolum oſtenderem in illos, quos

erga me meaq; studia propensi, ac grati animi esse intelligebã, ex illis quas enarrandas susceperã sentẽtias, quandã illarũ tibi offerendã curaui, vt calculo tuæ raræ eruditionis, veluti ad Cleanthis lucernã elaborata, politiorq; reddita, sine pudore magis in lucẽ prodiret, quæ in hunc modũ habebat: cùm proprio ore, illã publicè enarrauimus, quam hodie ideo exponendam suscepi, vt etiam vobis præceptores charißimi. Hoc enim nomine vobis & mihi accommodatiùs nihil esse potest, quòd ea apud vniuersum orbem præstatis eruditione, vt me, & quosuis alios me ipso doctiores artis medicæ professores, docere & instituere poßitis, hoc loco significarem, quãtùm Hippocrati debeamus omnes, qui veluti numen quoddam cælitùs demissum, tantorum bonorum nobis auctor extitit, cuius laudes hoc loco lubens præterire volo, quòd spero, Deo auspice, me aliquando illum integra oratione celebraturum. Verùm, video vos iam nostram audiendi in Hipp. sententiam enarrationem non parùm auidos.

Hipp. sententia, quam nobis Deo, dijsq; omnibus fauentibus, exponendam elegimus, scribitur lib. 6. Epidimiωn parte 2. sentẽtia 13. quæ in hunc modũ habet.

[Nihil temerè committendum, nihil etiam negligendum.] Cuius breuißimæ sententiæ sensum antequàm ostendam, profari licet priùs non nulla, quæ non parùm profecisse videbuntur ad genuinam, & plenam illius expositionem. Id enim artis nostræ hodie erit, vt scilicet orationis nostræ sensum, & quæ etiam illius interprætationi conducere videbuntur, ostendamus: nam vt Galenus comment. 1. primi libri Hipp. de Morb. vulgarib. ait. [Interprætum duæ sunt artes, vt

videlicet libri seruent sensum, & commentariorum suorum lectores, quæ conducant, doceant.] Est itaq; aduertendum prius, me hanc magis ob id elegisse sententiam ex sexto Epidimiωn Hipp. quàm ex Aphorismis, aut ex libris de Victus ratione in morbis acutis, aut ex Gal. Arte medic. ex quibus libris frequentiùs, qui in simili loco positi sunt, solent sententias eligere, quos paßim prælegunt ac interpretantur, quòd præ omnibus alijs sententijs, quæ arti medicæ vtiles sunt, hanc profectò primas habere ita mihi persuasum habeo, vt nihil veriùs affirmem: quod vt magis vobis sapientißimi viri verisimile videatur, ita persuadebo. Quid, dic quæso, peius in singulis artibus, quæ circa veritatis inquisitionẽ versantur, quàm ipsa temeritas, quæ nostrã mentẽ, veluti beluã rationis expertẽ, cõmouet ac exagitat, vt vix ipsam veri cognitionẽ assequatur? Quid rursus turpiùs, ac ignauiùs, quàm ipsa, nõ solùm artibus omnibus, verũetiam in omnibus præclaris actionibus rerum negligẽtia? quæ nos, veluti onus graue ita comprimit, ne vix è luto scænoq; vilißimarum rerum ad studia philosophiæ erigamur, quorũ vtrũq; cauendum per sententiam Hipp. à nobis citatam mirè docemur, quæ ait. Nihil temerè committendum, Nihil etiam negligendum. Quæ sententia theorematis loco habenda est, & à Thessalo Hippocratis filio scripta. Habuit enim ille (vt Soranus auctor est) Dracone͂, & Thessalum filios, simul cum alijs omnibus quæ 6. Epidimiωn. libro continẽtur, vt Galen. ait, cui maior fides adhibẽda est in exponendis Hipp. scriptis, quàm alijs omnibus, qui in principio 3. lib. de Difficult. respirat. in hunc modum habet. [Quemadmodum autem pri-

mus, & tertius, non solùm ab Hipp. compositi esse videntur his, qui optimè de his sentiunt, ac iudicant, sed etiam ob speculationis familiaritatem, mutuò inter se connexi: eodem modo opinor habent ea, quæ in 2. & 4. ac 6. habentur. In confesso est enim iam, etiam hos Thessalum Hippocratis filium composuisse, vt qui in parentis tabulis aut chartis, siue pellibus, & membranis quibusdam reperierit, ipseq; etiam aliqua, eaq; nō pauca de suo addiderit.] Ex quo loco quamuis liquidò apparere videatur sextum Morborum vulgarium librum Thessalum scripsisse, liquidiùs tamen ostenditur, quæ in illo continentur, omnia esse magni Hipp. quòd Thessalus eius filius illa à patris tabulis, chartis, pellibus, & mēbranis desumpserit. Accedit etiam sententiarum breuitas admiranda, quam semper Hipp. obseruasse, qui in illius operum lectione non fuerint desides, facilè videbunt, quod Hippocratis proprium fuisse Galenus ait libro 3. comment. suorum in librum Hipp. de Fracturis. Quod non solùm illi, verùm antiquioribus omnibus commune fuisse, ac familiare, etiam Gal. scriptum reliquit eodem libro tertio de Diffiicultate respirationis. [Vna quidem, inquiens, communis illa omnibus veteribus familiaris breuiloquentia, quæ in omnibus Hipp. sententijs semper ita vberrimam, ac succi plenā inuenimus, vt nihil prorsùs certè ei deesse videretur, quod ad artem necessarium eßet: immò auctore Galeno 1. de Vsu partium, Hipp. multa paucis verbis docet. Quo loco illius dictionem vocē Dei appellat. Habuit enim ille quandam peculiarem animi altitudinem, ob quam omnium medicorum consensu facilè princeps est habitus, vt Gal. lib. 3. de eius Decretis

tis & Platonis tradit, & ob id qaidē, & ob admirabilem eius doctrinam, diuini instar hominis est habitus, qui sua non imitanda breuitate, veluti in compendio quodam nobis ostendit, non solùm quæ ad medicinæ præcepta opus sunt, verumetiam quæ ad animi mores componendos, vitamq; nostram instituendam necessaria sunt, circa quæ duo, tota medicina & philosophia versari poßunt, de quorum vtroq;, si liceret per vestram omnium humanitatem, & per temporis huius angustiam, pro viribus hodie verba essem facturus. Verùm, cùm me apud vos medicos medicum etiã agere oporteat, vt quid mei muneris & instituti esset intelligatis, solùm quæ ad nostram artem pertinent in expositione nostræ sentētiæ à nobis dicēda sunt: quæ à me toties repetenda venit, vt faciliùs vestræ omniũ adhæreat memoriæ, quæ docet nihil temerè esse committendum, nihil etiam negligendum, cuius breuißimæ sententiæ enarratio quamuis superiori loco annectenda esset, tamen propter illius dignitatem, ac admirandam doctrinam, quam in se continet, veluti præcepti magni, ac theorematis cuiusdam loco à nobis tractanda est, vt quæ paucis verbis tam multa, quæ ad medicinæ artem rectè exercendam neceßaria sunt, docet. Cuius verborum sensus hic est, nihil videlicet, inconsideratè, temerè, aut insolenter, incircumspectèue committendum à medico eße, quibus sanè verbis nobis insinuare nititur Hipp. nullis nos præceptoribus ita addictos eße debere, vt veluti serui in omnibus illis obtemperemus, nisi illorum præcepta priùs longa rerum experientia, ac veritatis ipsius ratione comprobata, nobis nota fuerint. Nō enim parùm interest, quæ

à nostris præceptoribus nobis tradita fuerunt, iudicij nostri acie, ac omni delectu, singula perpendamus, aut sine vllo rationis examine in illorum verba iuremus: quò fit, si imperitis facilè credamus, ipsi imperiti simus, et si quid ab insanis præceptoribus discamus, etiā insanire doceamur. [Quippe in qualem quisq; præceptorem primùm inciderit, talis euasit, vt Gal. 1 de Naturalib. facult. auctor est.] Quam præceptorum temeritatem, ne nostram ipsi faciamus cauendam à nobis esse docet Hipp. Verùm quid per temeritatem nos intelligere oporteat in medicorum libris, cuius nullus ante me, quem scierim, ad hunc Hipp. locum meminit, rogo vos doctissimi viri audiatis. Est itaq; nihil aliud temeritas, quàm quidam facilis assensus, ac procidentia in quamuis cuiusq; auctoris sententiam, amplectēdam, quæ licet omnino falsa iudicanda est, illi citra vllam manifestam rationem, fidem adhibemus, indeq; libenter in errorem maximum labimur, à quo nos abstinere Gal. in libello de Cuiusq; animi peccatorum notitia ac medela, consulebat. Cuius loci verba, vt auctori sua fides non desit, in hunc modum habent.

[Aut potiùs te in omni vita ab huiusmodi facili assensu abstineto, quem procidentiam ac temeritatem nominant, mihi sanè id tantum de me dicere liceat, nullus me vnquàm ita deceptum esse ostendere potuerit, ab adolescentiæ namq; temporibus ita me semper assuefeci, vt tam in his quæ sensui, quàm in his quæ rationi manifesta videntur, ab inconsulto, & percipiti assensu cauerem: ad quæ transiens iam tibi iterum in memoriam reuocare hortariq; decreui, vt nulli falsò fidem adhibeas, vt quotidie permultos amicorum ali-

cui quæuis loquenti aßentiri video. Quòd si tres aut quatuor idem dixerint non renituntur: sed cùm vni aſ ſensi planè fuerint, idem tribus aut quatuor dicentibus temerè aßentiuntur: nec illud perpendunt, vtrum istos omnes ex vna communi cauſa, verum dicere, aut contra ex vna communi cauſa mentiri liceat. Satiùs igitur fuerit hic cunctari, quemadmodum & ego facere soleo.] Quo loco ſanè non minus eruditè quàm ſapienter Galenus veluti genuinus ac verus Hipp. interpres nos docet nemini temerè eſſe aßentiendum, quod nihil aliud ferè eſt, quàm nihil temerè eße committendum. Quibus etiam verbis Hipp. vult nos admodum ſolicitos eße circa morborum curationes, vt nihil prorſus ſit, quod negligenter aut oſcitanter cōmittamus, ſed omnia diligenter & accuratè exequamur. Sunt enim non pauca, quæ non rectè à medicinæ auctoribus tradita videntur, quæ ſolerti, & prudentis medici ingenio tractanda ſunt: ita Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem, Piſonem laudat, quòd diligenter admodum & accuratè, propria inſitaq; quadam prudentia, quæ ab Andromacho, alijsq; etiam antiquioribus, ſcripta ſunt, attenderat. [At tu, inquit, in curationem incumbes, animum diligenter omnibus, quæ à nobis fiebant, accommodabas, vt ſi quando nōnihil etiam neglectim, ac oſcitanter fieret, ſtatim accuratiùs exequereris, admoneres etiā ſecundū Hipp. ne temerè quid committeremus.] Sunt præterea non nulla, quæ ſibi ipſis contraria videntur, nec ſunt tamen, quæ non temerè à nobis pugnare inter ſeſe iudicanda ſunt, ſed exploranda rectè, ac expendenda, ac perpendenda auctoris mens eſt. Quorum exempla mul

ta poßent à me afferri hîc, quòd à septem annis iam, multos Hippocratis, Galeni, Pauli, Aëtij, Tralliani, & Oribasij locos, veluti inter se pugnantes annotauerim: verùm quia spero Deo Opt. Max. nobis opitulante aliquando illos cum alijs scriptis meis in lucem editurum, silentio præteribo. Admonentur etiam per hanc Hipp. sententiam à nobis traditam medici nõ nulli, qui sine pudore vllo, nec suæ memores ignorantiæ, ac temeritatis, per villas, per pagos, & vrbes vagantur, vt sine iudicio, sine ratione, et quod peius est, sine artis, quam profitentur, vlla cognitione medicinam exercent, quasi verò idem sit insanire & mederi, quorum hominum audaciam capitaliùs puniendam iudicarem, si etiam iure à me non accusandi eßent, qui detestandi criminis auctores sunt. Fuerunt, & non desunt etiam hoc tempore nostræ artis profeßores, qui cùm iuuenes veris medicinæ præceptis instituere & docere debuerunt, idq; eo temporis spatio, quo ad vnguem ad tradendam ab illis & perdiscendam artem opus eßet, per compẽdium medicinam tradunt, vt minus laborent in eius studio, & in otio vitam degant, & quos instituunt, ac docent quibusdam receptulis decipientes compendiarios etiam faciunt, qui artem ad quæstum trahentes, non eius pulcritudinem quærunt, sed medicorum solùm nomine contenti sunt, dum modò lucrari poßint: volunt enim artẽ priùs exercere quàm intelligant: quò fit, vt sæpenumero insaniãt, qui ita medicinã exercẽt, quos Hipp. cauere iubet ab huiusmodi errore, cùm inquit nihil eße temerè cõmittendum. Tum demũ etiam vltra hoc, nec erroris, nec temeritatis nota accusabuntur, si singula doctißimorum

rum auctorum ſcripta, quæ licet exigua, & pauci momenti videantur, tamen diligentiſſimè & cunctanter meditentur & excutiant, vt quæ videlicet non parùm profutura ſint ad medicinam exercẽdum, ac ad ægrorum ſaluti conſulendum, eoq́; vt Hipp. horum medicorum temeritati occurreret, qui veterum auctorum theoremata veluti minima, & nullius ferè momenti exiſtimant, inquit in 2. parte noſtræ ſententiæ, nihil etiam negligendum eſſe. Multa ad hæc ſunt, quæ medici noſtri temporis temerariè committunt, & negligenter agunt, quorum non pauca vobis recenſebo, cùm oſtendero Auicẽnam eorum omnium auctorem fuiſſe, qui licet multa eaq́; non malè in medicina ſcripſerit, non nulla tamẽ ab illo ſcripta inueniuntur, quæ minimè vera ſunt, cui multi medicorum vulgariũ ita addicti ſunt, vt omnia veterum medicorũ dicta cõtemnenda eſſe fateantur, dummodò vnum Auicennam habeant, colant, & legãt, & reuereantur: quod quàm ſit pernitioſum ex eo facilè videri poteſt, quòd paſſim multorum exemplis videamus, quantùm periculi ſit palàm mentiri in medicina, quæ veritatem ipſam omni cultu, & honore, auctore Hipp. ad Philopemenum habet. Quis enim tot pernicies, tot clades, humano generi intulit, quàm Auicennæ ceterorumq́; Arabum præcepta, quibus tam falſè diſtortè & inuerſè morbos curandos eſſe docent? Nónne vos alloquor veri medicinæ cultores, videtis quot hominum cadauera proiecta iacent in ſepulchris, nec adhuc conſumpta, vt ſine vita etiam conquerantur de ſuorum malorum auctoribus? qui in morbo laterali, & angina, alijs etiã morbis, quibus correpti fuerant oppoſiti loci venam

ſecantes, quòd fidem Mahometicæ ſectæ adhibuerũt, eos atrociſsimè iugulauerunt. Quis inquam, vos iterum alloquor ſplendidiſsima orbis lumina, tenera adoleſcentulorum ingenia liberalioribus alioqui inſtituta artibus, ita peſtilentibus & deteſtandis inſtruxit opinionibus? quæ in illis ita occalluerunt, vt non poſsint quamuis velint, dediſcere ea, quæ anteà didicerunt, hoc eſt ipſorum Arabum temeritatem, ac inſcitiam, quibus duabus nihil eſt, quod non audeant, vt Gal. auctor eſt lib. 2. de Simpl. medic. facult. cap. 13. Hos igitur & alios, qui tẽpore Hipp. fuerunt, habuerunt enim ſemper ſuos tempora nebulones, docet nihil quicquam ſtultè moliendum, nec temerè committendum. Docet præterea, ita nos ſollicitos eſſe debere, circa morborum curandorum indicationes, vt minima quæq;, quæ à peritis medicinæ auctoribus traduntur, à nobis diligenter diſquirantur, ac expendantur: ea enim quamuis exigua, & minima videantur, non parùm tamen momenti habent ad curationis neceſsitatẽ: ob id itaq; nihil quamuis minimum videatur, à nobis negligendũ eſt. Veruntamen, quia de indicationibus morborũ curandorũ nobis ſermo eſt, non incõmodum videbitur, ſi de illis vtpote plurimùm arti neceſſarijs, parùm moremur, quòd & veſtris auribus minimè diſpliciturum eſſe arbitror, qui optimè noſtis quantùm commoditatis in morbis curandis afferat earum cognitio. Eſt itaq; indicatio, vt Galenus docet 2. libro de Morbis curandis, inſinuatio ſequentis, vel agendi: quodq; ab experientia ſeiunctum eſt, id totum etiam indicationem nominari. At in libro de Optima ſecta ad Thraſybulum inquit. [Eſt indicatio iuuantium com-
pre-

prehensio simul cum comprehensione nocentis aduenïens, sine obseruatione, aut ratiocinio. Cuius loci expositionem, quamuis Delio indigeat natatore propter eius obscuritatẽ, tamen vt illis satisfaciamus quos scimus propensos esse in Galeni lectione, pro viribus definitionem indicationis sic interpretandam curauimus. Est enim indicatio cognitio iuuantis & nocentis, quæ cum re quæ iuuamẽto eget, cognita simul aduenit absq; obseruatione & ratiocinatione & analogismo. Quod enim iuuat, primò cognoscendum est, & eadem ratione posteà quod nocet deprehenditur: atq; quidem hæc non solùm per indicationem, sed etiã obseruationem, ratiocinationem, & analogismum deprehendi possunt. Nam quòd febricitantibus frigida conueniat, ita indicante febris natura cognoscitur, ex quo illud etiam innotescit, calida obesse, siquidem hæc contraria existunt. Iis, quæ prodesse ostendit affectus natura, quo sic habito, clarior quàm desiderari potest definitio indicationis ostenditur, quæ prima, et maximè præcipua est, quæ affectum ægrotantis amouendum suadet: æquè in sanis prima est, quæ statum eorum seruandum monet: qui sicut per similia seruatur, ita per contraria perimitur. Sumitur præterea indicatio ab ipsa corporis temperie, à consuetudine, à regione etiam, ab anni, tempore, & cæli statu: quorũ omnium non minùs facundè quàm eruditè meminit Galenus lib. 9. Methodi medendi, cap. etiam 9. qui etiam multis locis docet has indicationes ad morbos pellẽdos, & ad sanitatem tuendam minimè esse negligendas: quod identidem Hipp. consulit, cùm inquit, Nihil esse negligendum.

De Rosis Alexandrinis. CAP. XXIIII.



OMMENTARIVM de Rosis Alexandrinis, ad Antonium Serranum amicum meum, virum sanè eruditum miserã diebus præteritis, quẽ ea, qua potui semper obseruantia, & amore dilexeram, cuique meum illum commentarium ob id communicare volui, vt ille alijs communicaret, qui hominum studia, ac labores laude, qua digna sunt, prosequuntur, quo factũ est, vt non pauci quibus ille commentarium communicauerat ab illo peterent, vt ad me statim scriberet, vt illum in communem medicorum vsum typis darem, quod amicus ille meus non multùm distulit, quin ad me litteras misisset, quibus mihi significabat meum commentariũ non paucis medicis non infimæ notæ dicendi genere, & materiæ vtilitate adeò arrisisse, vt impensè illum obsecrarent, à me contenderet, ne sinerem meum illum laborem ita diu latere, immo in lucẽ ederem cum alijs non nullis, quæ à me composita esse ab illo audiebant. Ego tamen, quia nullam maiorem pestẽ in litteris semper existimaui, quàm hominum quantumuis amicorum assentationẽ, quæ ita quemuis fallit, vt posteà, quamuis doleat turpitudinis suæ, qua nihil magis aspernandum, non poßit corrigere quæ turpia & inhonesta cõmiserit, idq; si in animis, quæ cælestis cognitionis velut vehicula sunt, verũ est, erit etiã verißimũ in artiũ studijs, propter varias multiplicesq; hominum naturas, qui, vix affirmare possum, an æqua lance calculũ

ferant de illis, quos aut vitæ religio, aut litterarũ cultus ita instituit, vt nihil prorsus præclarum existimẽt, quàm si quid aßiduitatis vsu comparauerint, id totum in studiosorum vsum, ac vtilitatem conferant. Quod cùm ipse intelligerem, negaui amico, quod à me petebat, ne cùm mea scripta forte apud meos aliqua laude digna, ad doctiores, qui vix me nomine nouerunt, peruenerint, deriderentur: sperabam etiam me lucubratiunculam illam meam cum alijs non nullis in lucẽ editurum, & , vt contigit vt nostra sæpè fallamur spe, minùs succeßit quàm sperabam. Posteà euoluens chartas, quas in scrinio meo reconditas habebã, cupiditate illius rei, cui non paucis diebus insudaueram, inueni nescio quæ scripta de Rosis Alexandrinis ita inuoluta, ac verborum connexione implicata, vt crederem ipse meum laborem omnem deperditum esse, si iterum ac iterum illa rationis examine non pollerem, quod ob id facio, vt lectoribus non molestus sim. Nec enim suspicor alia occasione quidem meam hanc diligentiã ab illis probatum iri, quàm quòd videant amorem quẽ erga illos habeo. Rosas itaq; Alexandrinas, quamuis multi nostris solùm fuisse inuentas existiment, constat apud Arabes notas esse. Verùm cùm alia multò plura medicamenta æquè hominibus grata, vsus inuenerit, temporis iniuria factum est, vt per longum temporis interuallum non vteremur his Rosis. Si tamen in Romano solo, vt audio, semper repertæ fuerint, sicut nostræ aliæ vulgares Rosæ, Apud Romanos fortè, quia vulgò habebantur, non illis ad vsum rei medicæ vtebantur: cùm ita apud omnes fiat, vt non nisi quod rarũ est minimeq; vulgare, veneretur, ac pluris fiat. Accessit

ſit ad hoc etiam pharmacopolarum auaritia, qui, ne in illos Tragediam excitem, vix credas, quàm impiè, & flagitioſè ſuam inſatiabilē pecuniarum ſitim expleāt, quàmque falſè frigida cum calidis, humida cum ſiccis, ſine corpore habentia corpus, in cōponendis ſuis profectò execrandis medicamentis commiſceant, quæ vt vēdant, omnibus perſuadent prauum eſſe roſarū Alexandrinarū vſum. Quarum facultas, vt de illa iā agamus, calida quodāmodò eſt, quod ſatis apparet, ſi illas cum vulgaribus roſis conferamus, quæ frigidæ naturæ ſunt, deprehendes etiam illarum calorem ab odore, quem habent fortiorem alijs communibus roſis. Quippe quæcunque odorata ſunt calida eſſe docet Galenus libro 4. Simpl. medicament. facult. cap. 22. Color præterea, magis ad ruborem declinans, caloris argumentum eſt: accedit ad hoc etiam ſitis, quā ſemper huius medicamenti conditum excitare ſolet, quæ à calore ortum habet. Nec valet cuiuſdam Hiſpani medici ratio, qui in quodam ſuo ſcripto libello nititur probare, ob id has Alexandrinas roſas calidas eſſe, quòd bilem ducant ſicut Rhabarbarum. Vacuāt, inquit, medicamenta humorem ſibi ſimilem, quò nihil veriùs eſſe ita fatemur, vt Arabum omnium ſententiam, qui purgantia medicamenta ad quaſdam ignotas occultasq́; proprietates contorquēt, ita incuſem, vt nigro, quod aiunt Thita illam infigam: & ſicut alia ab illis ſcripta multa, quæ humano generi pernicioſa ſunt, ita hanc falſam planè opinionem hic, & in alijs noſtris ſcriptis reprobandam eſſe aſſerimus. Verùm hoc medicamentum, cuius noſter eſt ſermo, non primùm bilem ducit, vt Rhabarbarum & Scammonium, quæ experimento

ſa-

ſatis conſtat bilem purgare ex ſubſtantia totius ſimilitudine, quamuis ſe diſcruciet, ne dicam inſaniat, Guilielmus Puteanus, qui ſuo libro de Medicamentorũ fa cult. de hac re, Galenum vellicare ſtudet. Nec ſatis eſt illos, qui hoc medicamentum ſumpſerunt, plurimũ bilis pallidæ eieciſſe, vt ſtatim illud ſuapte propria na tura, ducendæ bilis vim habere dicas. Purgãtia enim medicamenta, ſiue lenitione, ſiue cõpreßione, ſiue attractione agant, ſemper flauam bilẽ ſimul cũ excrementis expellunt, quamuis facultatem non habeant illius purgandæ: id enim ob copiam magnam quæ in inteſtinis gracilibus potißimùm, vt Galenus 5. lib. de Vſu partium ait, continetur. Quod etiam probari poteſt ex acceſſu bilis, quæ cùm ſubtilißima ſit, vacuatis vẽtriculo, & inteſtinis, in locum vacuati ſtatim ſecedit, vbi ad naturæ vſum, vt Galenus lib. 2. de Naturalibus facult. auctor eſt, deriuari cõſueuit: quò fit, vt ab omnibus medicamentis vnà cum alui excrementis expellatur: quò facilè intelligitur, non veram eſſe illorum opinionem, qui ob id, quòd multùm bilis, cum huius noſtræ roſæ condita expurgetur, bilis purgandæ facultatem illam habere credunt. Nos igitur longo huius medicamenti vſu docti, illud pituitam magis, quàm reliquos humores educere credimus, idq; ratione cõfirmamus: quòd prægnantibus, ſenibus, obeſis, voracibus, qui plurimùm pituitæ habent, ſumptum mirè proficiat: accedit Auicennæ etiam teſtimonium, qui in cu ratione febris tertianæ nothæ, illud dederit, quòd ob miſcellam quam habet cum pituita, factum eſſe credendum eſt. Non negamus etiam hoc medicamentum ventris aquas & communes inteſtinorum materias opti-

mè ducere. Non tamen hinc tibi persuadeas, ad colicos dolores, vt multi exhibent, vtile esse, quod minimè vnquam expertus sum, quippe quòd flatulentum admodùm est, & ob id colicis semper negaui. An tamen capitis oculorumq; dolores proficiat, videant qui experti sunt. Ego verò id dico, quòd si capitis dolor ortũ habet à ventriculi pituita, Alexandrinæ rosæ cõditum optimum huic malo erit remedium. Admoneo præterea, nec rationi parùm consonum esse existimo, medicamentum hoc ex sequela, & ex consequenti, quod aiunt, ex capite aliquando vacuare: sicut clyster, quod non solùm vacuat ea, quæ in intestinis continentur, sed etiam ob reuulsionem ea quæ ad caput feruntur, vt Galenus scripsit 6. de compositione medicament. secundum locos. Modus huius medicamenti præparandi, vt experimento, quod in nouis medicamentis plurimùm valet, docti sumus, is est, exhibendo scilicet mellis albißimi, quod Alexandrinus laudat, vnicuiq; libræ vncias quatuor foliorum rosarum, vnguibus detractis, deinde coquendo lento igne, donec ad mediocritatem reddatur. Quod si ex saccharo cõponere velis, eandem quantitatem assumes, idem etiam ex succo rosarum colando bis, aut ter: alij etiam ex rosarum infusione componunt, quod non probo, quòd expertus sum hoc rosatum mel plurimos gignere flatus. Multi adhæc, qui delicatiùs viuere cupiunt, quiq; nihil edunt, nec bibunt, quin palatum consulant priùs, liquorem rosarum per alambicum stillatitium addito sacchari puluere, sumere cõsueuerunt. Hos errare certum est non minùs, quàm qui plurimùm aquis stillatitijs omnibus tribuere solent, cùm liquores omnes, qui
igne

igne per campanulas plumbeas, aut æneas exprimuntur, nequam sunt, & vt Galenus lib. 7. de Compositione medicament. secundum locos cap. 2. ait, aqua per canales plumbeos deriuata dysenteriam generat, & quod etiam Aëtius testatur lib. 9. cap. 45. aqua pluuia ex domibus plumbo tectis delapsa vituperatur. Rursus præterea plumbum Dioscorides inter venificam vim habentia enumerat, lib. 6. Quòd ad vasa ænea attinet, idem reperio apud non infimæ notæ auctores. Præterea, aquis, quæ per vasa ænea, aut plumbea extrahuntur, nec idem sapor, nec idem odor, qui in herbis est, ex quibus extractæ fuerunt, seruatur. Aqua tamen in duplici vase extracta, vt Galenus lib. 8. Methodi medendi vnguenta calfacere consueuit, mihi plurimùm probatur, quòd eo modo non multùm viciatur facultas herbarum, ex quibus liquores illi, quas aquas stillatas dicimus, extrahuntur. Lege Manardum, Dessenium, & Brassauolum. Hæc tamen præter instituti nostri rationem libuit nostro huic commentario inserere, vt animos illorum, qui harum rerum cupidi sunt, illarũ lectione parùm allicerem, ne tædio ac fastidio huius nostræ tractationis grauarentur, & ob id minimè illam absoluerent. Non desunt pauci etiam, qui rosas nostras Alexandrinas in sero lactis per noctem calicibus solùm extractis macerare solent: posteaq; serum sumentes non parùm proficere affirmant, quem vsum sicut nec vituperare queo, ita nec laudare cupio. Crederem tamen præter hos suprà dictos, præparandi medicamenti nostri modos, hunc non minùs elegantem, vtilem, ac palatui gratum, è saccharo albissimo in pollinem subtilissimè redacto, & succo rosarum

tantùm superinfuso, quantùm satis sit ad placentulas, aut panes componendos, qui in sole, donec siccescant, exponantur. Conditum hoc, præter id quod delicatius est, mouẽdæ alui præstantiorẽ vim habet, quàm aliud, quod ex rosarum folijs componitur. Si enim nostrarũ rosarum communium succus purgãdi vim habet maiorem, quàm ipsæ rosæ: Alexandrinarum rosarum succus cur magis etiam non purgabit, quàm ipsæ Alexandrinæ rosæ ex quibus exprimitur? Hora autem propinãdi hoc medicamentum conueniẽs est matutina stomacho adhuc ieiuno, sicut offerri solent alia deiectoria medicamenta: non tamen ab epulis, vt non pauci vulgares non sine artis errore, & ægrorum incommodo, sumendum esse persuadent: idq; confirmant eo argumẽto, quòd si quis statim à cibo conditũ ex rosis Alexandrinis sumpserit, pluries exiet aluus, quàm illius, qui ieiunus illud deuorauerit, quorum ratio apud me nullius feré momenti est, quòd certò sciam, illius humoris euacuati maiorem copiam non esse humoris praui, quem vacuari opus erat, sed corrupti partem alimenti, quem medicamentum ita post cibum sumptum corruperat, quod rationi consonum esse videbitur, si Paulum Aeginetam legas lib. 7. cap. 4. vbi aloëm secundum cibum dandam esse negat, quòd noxam inferat ita sumpta, & cibos corrumpat, quod si aloës omniũ quæ stomacho magis conducunt vna est, ea tamen si post cibum sumatur, illum corrũpit: cur medicamentũ nostrum, si etiam a cibo sumatur, illum non corrumpet? quò fit, vt melior sumendus modus sit ieiuno ventriculo, dummodo post horam à sumpto medicamento, aut aliquo spatio interposito statim edat, qui illud sum-

sumpserit, vt seruetur ordo medicamentorum clementer soluentiũ, vt Caßiæ fistularis & Pruna, & Manna & cetera id genus. quæ cũ ita suauia sint, & lenia, parùm ante prandium sumenda sunt, ne ventriculus ea arripeat, concoquat, & distribuat, & vacuandi vim amittant. Lege Galenũ lib. 2. de Aliment. facult. cap. 31. & 5. de Sanitate tuenda, vbi aluum lubricantia parùm ante cibum, offerenda esse iubet. Quantitas quæ offerri debet, nec maior sit quatuor vncijs syrupi ex rosarum succo à nobis iam scripti: & conditi ex ipsis rosarum folijs etiam maior non sit, quàm triũ vnciarum, nec vtriusq; minor quantitas quàm duarum, quamuis medici præsentis arbitrio, ac rationali cõiectura id rectè peragetur, quòd esset à nobis difficillimum ad amußim completam vnicuique medicamenti quantitatem offerre. Ceterùm qui nos non paucis nostram suprà dictam quãtitatẽ obseruauimus satis esse, ob id illius meminimus. Habes ergo studiose lector meã de Alexandrinis rosis sententiam, quam tuo iudicio exponendam curauimus, vt sicut erga alios, qui eundem laborem per tuam in illos beneuolentia ac amorẽ haud recusauerunt, tuũ candidum animũ nouimus, ita nostræ mutui gratiã diligẽtiæ, nos non pœniteat. Vale.

De errore vulgarium in apostematis definitione. CAP. XXV.



COGOR sæpißimè tacere dum per hæc vitæ incommoda, quæ vndique me circũstant, mihi non licet facere, quod cupio: facio tamen aliquando, vt tacendo dicam quod volo, dum tamen constet ratio ob quam ipse ta

ceo. Verùm licet id semper apud me seruandum in multis duxerim propter non vulgares caussas: tamen cùm res agitur de litterarum cultu, veritateq;, vix me possum contineri inter meos parietes, quin dicam quod sentio, præsertim si aliquis morosus praueq; institutus velit quicquam detrahere ab eruditione veterum medicorum Hipp. Galen. Pauli, Oribasij, & Alexandri, & Aëtij, quorum auctoritas ac dignitas tanta apud omnes esse debet, vt vno ore totus terrarum orbis illis gratias referre debeat immortales, quòd verißima medicinæ præcepta ab illis nobis tradita sunt: è quorum fontibus licebit exhaurire limpidißimā saluberrimamq; aquam, humanæ vitæ dulcißimam ac vtilißimam, non ex lutulentis fœtidisq; lacunis, quæ cæno, fœtoreq; suo, humanum genus ita inficere solēt, vt nullū aliud noxius veneni genus esse credendum est. Quod ne quis à me ita obiter dictum esse existimet, afferam in medium quod suspicor apud omnes iam notum esse, summam illam generis humani perniciem iam præteritam, quam medicorum neothericorum in morbi lateralis, aliorum etiam morborum curatione per oppositi loci venæ sectionem facta, contumax ignorantia fecerit, quod quantò dolebam olim, propter illam carnificum turbam, tanto hoc tempore iam dolere desino propter veros medicinæ magistros, qui vera rationaliq; methodo, & experimentis confirmata, morbos profligare solent. Reliqui verò imperiti non solùm in morbis curandis quàm peruersißimè cecutiunt, verùm etiam in illorum essentia, cognitioneq;: vt præspicuè ostendit error vulgaris medicorum, ac chirurgorum, qui ignorata apostematis definitione, illud confundūt

cum

cum phlegmone, existimantes apostema genus esse ad phlegmonem, & ad reliquos tumores præter naturã, quod ex his quæ sequuntur falsum esse ostendemus, vt imperitos medicos doceamus, ne posthac cum infantibus balbutiant, aut cum senibus delirent. Est igitur abcessus, quod Græcis ἀπόστημα dicitur, diuersus, & alius à phlegmone, phlegmone etiam ab apostemate longè differt, in Græcorum enim medicorum libris, nec etiam apud recentiores, qui præclara eorum ingenia illorũ veterum splendore, nitescere fecerunt, phlegmonem vtramq; veram scilicet & non verum abcessum esse nusquam comperimus, nec ab aliquo inuentam asserimus, quod vt à nobis dilucidiùs exponatur, & ab omnibus clariùs legatur, ac intelligatur, phlegmonis definitionẽ & originem paucis exponam, vt inde liquidißimè constet apostema nihil commune habere cum illa, idq; nobis ostendetur paucis. Phlegmone itaq; Galeno lib. I. de Morbo, & Symptom. bifariam sumitur, vno modo communiter, veterum qui ante illum fuerũt more, pro omnium partium veluti inflammatione, & quadam efferuescẽtia, hoc est, pro omni calida, ac veluti flammea quadã dispositione, quæ Græcis φλόγωσις dicitur. Veram phlegmonem à solo sanguine ortum habere, non ab alio humore certum est, si tamen bilis cõmisceatur cum sanguine, iam phlegmone vera non est, sed appellatur erysipelatosa. His itaq; de phlegmone habitis, abcessus definitio à nobis tradenda est, vt vel lippis pateat, nihil prorsus habere cõmune cum phlegmone, nec ipsam phlegmonẽ cum ipso, qui à Galeno, cuius auctoritas pluris facienda est, quàm cẽtum aliorum Arabum: describitur libro 14. Method. cap. 12. in

hunc modum. [Mihi verò tempestiuum est de aliis tumoribus dicere, quorum se primùm abscessus offert ἀπόστημα id Græcè dicitur. Huius duplex itē genus est, vnum cum phlegmone in pus versa, pus ipsum tanquā in sinu aliquo est collectum. Alterum cùm nulla præcedente phlegmone, humor aliquis statim ab initio, isq́; aliàs specie alius, ceterùm omnino acris, in parte aliqua colligitur, porrò excoriat, hic circumposita corpora: spatium videlicet sibi moliēs, vel inter duas tunicas, vel sub certis membranis. Excoriat autem omnino ipsa copia distendens: interim verò acrimoniā quandam à putredine tempore contrahens. Sanè inueniuntur in huiusmodi abceßibus cùm scalpello sunt diuisi, proprietates quædam nō paucæ, nec humorum modò, sed etiam solidorum quorundam corporum. Siquidem vnguium, pilorum, oßium, testarum, lapidum, & pori fragmentorum similia inuenta in his corpora quædā sunt.] Quo loco elegantißime ostenditur, quid apostema dicatur Gal. quod etiam repetit in lib. de Tumoribus præter nat. & 2. Artis curatiuæ ad Glauc. cap. 6. Vnde satis nobis demonstratum esse credimus, non sine magno errore ab Arabibus, & ab eorum sectatoribus phlegmonem apostema appellari, cùm longè inter se differant, vt equus à leone. Quare illis post hac persuasum volumus, ita Arabum legāt præcepta, vt si à Græcis discrepare videantur, illa respuant, ac detestentur, Græcorum sectentur placita, legant, & venerentur, quibus præclara hominum ingenia mirè docentur, ac excoluntur.

Expoſitio & animaduerſio in Aphoriſmũ XLV. Hipp. ſect. v. vbi agitur de cauſsis abortum facientibus, & de Cotyledonũ etiã ſignificatione. CAP. XXVI.



EERANT *nonnulla, quibus pars hæc prior meorum commentariorũ iam abſolueretur, quæ anteà à me in Hipp. lectionibus fuerant annotata, reſeruabam tamen illam in meliorem occaſionẽ, quòd noluiſſem vno partu ſolùm, meos fœtus omnes in lucem edere, quos non paucis laboribus, & vigilijs conceperam, ne fortaßis cùm quidquid ſcribo, ac meditor, & lectoribus vtile fore ſuſpicor, ab aliquibus non parùm probaretur, quod nec de noſtra hac infelici tempeſtate minimè credendum eſt, in qua hominum iuditia multum ad calumniandum, & maledicendum prompta ſunt, ob idq; huic primæ meorum commentariorum editioni, recuſabam addere aliquot ſcripta, quæ accuratiùs quã poterã, à me fuerãt meditata, nec ſi alijs parua laude digna æſtimarentur, minus dolerem ipſe, quòd in omnibus meis ſcriptis, in his præſertim, quæ à me edita non erant, non omne oleum & operam me perdidiſſe crederem. Posteà verò, cùm animaduerterem non paucos etiam reperiri, doctos quidem & probos viros, qui aliorum labores æquè boniq; conſulant, quiq; benignis animis ac beneuolis, ita hæc mea legant ſcripta, vt ſi ſibi minùs vtilia eſſe perſuaſerint, quòd doctißimi, ac eruditißimi fuerint, alijs tamen, qui nondum tam præclaros progreſſus in ſtudijs litterarum fecerunt, vt illi,*

illi, legenda esse persuadebunt, inter quos Salmanticenses doctores sunt, qui eo nomine solùm, quòd Salmanticæ docent, vbi prima mearum litterarum studia incœperunt, mirum in modum colendi & amandi sunt, præsertim venerandus, & omni laude quidem dignus D. Doctor Ambrosius Nonius, quem audio iam ad vespertinæ lectionis medicinæ munus euectum esse, ad quod meritißimum præmium licet iure optimo, omniũ bonorũ suffragijs vocatus est: plurimùm ipse lætatus sum, quòd plurimùm illũ amauerim propter innumeras eius animi dotes, præclaras etiam virtutes, quibus solùm meritò à me colendus, & amplectendus esse debuit, quamuis non adiungerem etiam incredibilem, ac raram in litterarum studijs eruditionem, ob quam pluris quàm alij multi à me faciendus est. Est etiam hîc à me non silentio prætereundus, immò plenis, quod aiũt, buccis etiam nominandus Domin. Doctor Mitina Salmaticensis Gymnasij medicinæ primariæ lectionis celeberrimus professor, qui, vt mihi relatum est, quantũ candoris & ornamenti & vtilitatis attulerit Salmãticensi scholæ, multò meliùs noscere poterunt, qui eũ noscunt, quam ipse, qui solùm illum nomine nouerim, cuius, vt aliqua ex parte notũ apud illũ me ostenderẽ, in his meis scriptis meminisse volui, & eo magis meam de illo recordationẽ gratam fore arbitror, quòd etiã hoc loco res mihi agenda est de non nullis, quorum illum peritißimũ esse audio, hoc est de anatomica quadam obseruatione in Cotyledonum significatione, cuius censuram & aliorum omnium, quos Salmanticæ doctißimos esse scio, sicut minimè molestè feram, ita obseruationem meam illis libenter profectò communicare

care cupio. Verùm ne oratio longiùs progrediatur, quàm par est, ea quæ in Hipp. sententia quadam de caußis abortum facientibus annotaueram, meis scriptis adiungenda curaui, quæ in communem medicorũ vtilitatem facere visa fuerunt. Habet itaq; Hipp. v. sectione Aphorism. aphorismo. XLV. in hunc modum. Quæcunq; mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mense sine occasione manifesta, ijs acetabula vteri mucoris plena sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur.

Cuius sententiæ expositio, quamuis à Galeno vero ac genuino Hipp. interprete, ita eruditißimè & elegantißimè tradita est, vt ad Hipp. Germanum sensum nihil profectò deesse videatur: tamen quia multi sunt, qui non adhuc à limine quod aiunt, scripta Galeni salutauerunt, quibus fortaßis is meus labor non incommodus videbitur, immò, non solùm ex hoc loco, verùm ex omnibus alijs scriptis meis, ad Galeni lectionẽ ita excitabuntur, vt posthabita aliorum, Arabes intelligo, quibus tantopere deditì sunt, barbarorum placita, quæ illos insanire docuerunt, dediscant, & veterum illam sapientißimorum Græcorum medicinam colant, & amplectantur. Cuius rei illos prius admonitos esse volui, quod attentiùs legant nostram meditationem. Cùm itaq; tam friuola omnium animalium superbißimi sit origo, vt plerumq; abortus caussa fiat odor à lucernarum extinctu: mirum profectò esse non debet, si à multis alijs caußis, quæ non ita parui momenti sunt, abortus feminæ faciant, quod Hipp. animaduertens, qui sicut magnus ac ferè diuinus humanæ naturæ auxiliator fuit, qui tã admirabili sapiẽtia, medicinæ præ-

ceptanobis tradidit, ita humani generis imbecillitatem meliùs omnibus nouit. Frustra enim de morborum caußis & inditijs & remedijs tam eruditißimè ageret, nisi intelligeret, quàm imbecilla esset humana cõditio, quæ tot auxilijs opus habebat, inquit. [Quæ verò mediocriter corpulentæ abortũ faciunt secundo aut tertio mense sine occasione manifesta, ijs Cotyledones lentoris sunt plenæ, sed abruptis decidit.] Vbi docet abortus caussas, quas in illa dictione, sine occasione manifesta, nobis insinuare visus est. Est enim occasio manifesta, siue euidẽs abortus caussa, vehemens febris, alui fluxio, profluuium etiam sanguinis, erysipelas etiam in vtero, vel saltatio vehemens, tristitia, vociferatio magna, ira præterea, ieiunium, & timor, quas abortus caussas omnes Hipp. intellexit, alias etiã nõ nullas quæ ad has reduci possunt, vt videlicet quãdo vterus distendi non potest, aut à qualitate humoris offenditur, quorum meminit Gal. 3. lib. de Naturalibus facult. in medio his verbis. [Pari modo & vteri, hi namq; vbi vel distendi amplius non tolerant, vel qualitate humoris in se effusi, morderi quod offenditur abijcere properãt. Porrò prædictorum vtrunq;, aliquando non naturæ sponte, sed violenter incidit, quo casus abortus prouocatur.] Abortus tamen signum infallax est cùm hæ supradictæ præcedant caussæ, id est, si scilicet mammæ subitò extenuentur, quod Hipp. tradidit v. sectione Aphorism. Aphoris. XXXVII. Quod & Galenus exposuit lib. XIIII. de Vsu partiũ, paulò post medium in hunc modum. Quando rursus inquit. [Mulieri in vtero habenti, si mammæ graciles de repente fiant, abortiet, tunc fœtum fortem quidem

eſt putandum, ſed copioſum ei alimentum deeſſe. Nam primum quidem ex venis matrici communibus, ſanguinem trahit, ac item mammæ gracileſcunt, non ita autem multò poſt fit abortus, cùm ſcilicet nutrimentum omnino ei deficit.] Hæ igitur ſi veluti præcedentes cauſſæ mediocriter corpulẽtis feminis nõ acceſſerint, abortierint tamen. Veriſimile eſt Gal. teſte in commẽtat. huius ſententiæ, cuiuſdam lentæ, & mucoſæ pituitæ plena eſſe ora vaſorum ad vterum peruenientium, ex quibus ſecũdæ pendent, quæ ſanè ora Hipp. Cotyledonas appellauit. Veruntamen, quia ſuperiùs de abortus cauſsis nobis ſermo fuit, quid tamen abortus eſſet negligenter òbliti ſumus, hîc quid abortus ſignificet vno vèrbo expediemus. Eſt itaq; abortus deperditio fœtus quædam vt Galenus docet in comment. VI. libri Epedimiωn ita inquiens. [Quod Attici ἀμβλωσιν id eſt, abortum vocant, id Hipp. vſitato vocabulo ἀποφθοράν, hoc eſt deperditionem.] Quo loco mendoſam dictionem eſſe credimus, ἀποφθυράν legendum cenſemus ex Adriani Iunij auctoritate. De Cotyledonum ſignificatione mihi negotium eſt, quod videam controuerſam de hac re multorum veterum medicorum ſententiam, ex quorum placitis hæc licuit aſſumere, vt qui ea legere non potuerunt, hoc loco libenter legant: qui verò raræ lectionis viri ſunt, bene mihi precentur, qui quidquid lego, illis communicandum cupio. Cotyledonas multi in vtero collocatas eſſe, verùm non omnes corpora eſſe docent. Namq; Diocles vt Soranus auctor eſt in libello de Vtero dicebat κοτυληδόνας, quas πλεκτάνας appellauit, eſſe quaſdam μαστοειδεῖς ἐκφύσεις in medio vteri poſitas, quæ baſim la-

tam ac extremum acuminatum habeant, cùm fœtus in vtero est, vt ab his addiscere posit quomodo papilla trahenda sit. Alij voluerunt illas carnes, quæ adnatæ osculis vasorum fœtui sunt, vt ipsa stabiliora reddant κοτυληδόνας esse. Alij verò dixerunt, ipsa ora vasorum vteri, quas acetabulares quasdam eminentias mensalium purgationum tempore habent, ex quorum numero Praxagoras fuit, quē postea Galenum imitatus est. Non defuerunt etiam alij, quos Arist. imitatus est qui tertio libro de Historia animalium cap. I. inquit in solis cornua habentibus animalibus, aut altera tantū parte dentes habentibus, quibus etiam addunt ab ipso δασύποδες, & mures, & vespertiliones, vtrinq; dentati vterum habere acetabula, quas Cotyledonas appellant, atq; eo tempore tantùm, quo fœtus in vtero continetur, à quibus acetabulis embrio per media vasa pendet. Reliqua verò omnia quæ vtrinq; dentata, pedibusq; hærentia animal pariunt, tradidit vterū habere interna in facie leuigatum, à quo embrio suspenditur medijs ipsis vasis, non autem Cotyledonibus, quoniam non adsunt. Quæ tamen istæ Cotyledones sint ipse Arist. docet libro 2. de Generatione animalium cap. 5. Sunt vltimò alij qui dicunt Cotyledonas istas figmentum esse, inter quos Soranus est, qui de illis loquens ita ait loco superiùs à nobis citato. ἀφυσικὸς ἐστιν περὶ αὐτῶν εἰσαγόμενος λόγος. In hac ergo tamen controuersia auctorum opinione, sententiarumq; varietate, eorum quos noui & audiui magnos & præclaros in medicina progressus fecisse inditia auidißimè cupio, & libentißimè eorum sententias etiam legerem. Verùm quod ipse sentio, inuenioq; apud alios non po-

stre-

stremæ notæ auctores hic adducam. De cotyledoni-bus, aut de acetabulis, nihil enim interest, Græcè aut Latinè dicas, propriè aut impropriè loqui possumus. quòd si impropriè loquamur innumeræ erunt senten-tiæ, quæ de ipsis proferri poterunt, si tamen propriè, nec per figmenta, aut similitudines loqui voluerimus, necesse est intelligamus quædam esse corpora inscul-pta, & caua, quæ cotylæ effigiem generantia, in vtero reperiantur. Nam quæcunq; κοτυληδόνος nomine dona-ta sunt, ea omnia cauitate quadam Cotylam imitantur. Vocatur etiam cauitas vt Gal. docet libro I. de Mo-tu musculorum parũ ante finem, in hunc modum in-quiens. [Vocatur autem cauitas, & ab ocularis sinus similitudine, glene, & præterea cotyle, connexitas verò, & caput & condylus. Tanto autẽ cotyle quàm glene est profundior, quanto caput condylo est lon-gius.] Hæc præterea cauitas ab Hipp. in libro de Locis in homine, & in libro de Articulis κοτύλη appel latur. Est etiam Cotyledon paruula herba quædã cau-liculo tenero, pusillo, pingui folio, & concauo vt co-xendices, cuius Plinius meminit lib. XXV. cap. 13. quam etiam dicit Diosc. lib. 4. à κοτύλην figura κοτυληδῶν ap-pellatam esse. Ex quibus colligemus, si propriè loqui volumus, κοτυληδόνες istas, corpora esse in vtero quæ necessariò acetabuli figura constabunt: colligemus etiã sententiã Arist. veram esse, qui de his corporibus loquutus est sub nomine κοτυληδόνος quod nec Pra-xagoras nec Gal. obseruauerunt, male Cotylidonas vo cauerunt, venarum capillamenta, cùm in his nulla sit huius nominis occasio. Errauerunt etiam, qui carun-culas mãmillares à quibus embrio norma sugendi addi-

sce-

ſceret acetabula vocauerunt, quoniam non reperiuntur, nec ſi adeſſent illas ſugere poſſent, vt Ariſt. oſtendit agens contra iſtos 2. lib. de Generat. animalium capit. 5. Cui ſi credere debemus hac in re multò magis quàm medicis poſt illum, quòd ſcilicet dixerit in mulieris vtero non inueniri, ſed in cornutis animalibus, et alijs quorum ipſe meminit: ex hoc loco efficietur Hippocratem diſceptum fuiſſe, quòd dixerit mulieres abortire cum his acetabula, vel cotyledones muco plenæ ſunt, quòd non poſſunt præ grauitate fœtum continere, quod ob id minimè verum eſt, quòd hæc acetabula, vt ex Ariſt. ſuperiùs probatum eſt non ſunt, in oſculis tamen vaſorum, quamuis hi humores contineri poſſent, abortum tamen minimè facient, quoniam inibi retentus mucus obſtructionem pariet, ob quam fœtus alimento deſtitutus, neceſſario abortu peribit, non autē quia diſrumpantur ligamenta, pondus ferre minimè poßint. Cuius acutißimam & doctam quidem rationem legi apud Gabrielem Falloppium in ſuis obſeruationibus anatomicis, quem ſi honore ſuo non paruo laude etiam quam meretur magnam, defraudarem: ab alijs accuſandus eſſem, quòd bonis & doctis viris, ea non tribuerem quæ ob illorum ſingularem doctrinam, raramq; eruditionem illis debentur. Erant etiam hoc loco mihi non nulla dicenda de Mediocritate corporum, & fœtus tempore geſtationis, ad cōpletam Hippocratis ſententiæ enarrationem, quod vtriuſq; ab illo facta ſit mētio in dictione illa. Mediocriter corpora habentes, abortiunt ſecundo, aut tertio menſe: quorum vtrumq; ordine nobis exponendum eſt ea breuitate qua potuerimus, ne faſtidio longioris

ſer-

ſermonis lectorem afficiamus. Corporum igitur mediocritas quantum valeat ad morbos cauendos, nullus ignorare poteſt, quòd morborum cauſsis plurimũ reſiſtere poſsit, non tamẽ facili negotio labefactari poteſt, immò, ita vitam ſeruare tutiſsimè, vt diu homo ſine morborum offenſa viuere poſsit. Cùm tamen mediocritatem dico, eam intelligo quæ in facultate eorũ quæ miſcentur, conſiſtit. Cuius Gal. meminit in comment. lib. Hipp. de Natura humana, eaq́; optimam reddit corporis conſtitutionẽ ad naturæ munera. Eſt igitur ea, ſi ſubſtantiam eius ſpectes, & quæ optimo temperamento ſit, & quæ figuram partium egregiè ad functiones comparatã habet, quæ etiam omnem numerum, & magnitudinem, omnium præterea eorum inter ſe contextum ad actiones idoneum exhibet. Si verò inditia, notasq́; reſpicias, cuius corpus mediocritatẽ præfert, porrò id tale eſt, quale inter gracile & obeſum eſt, vt Galenus eruditiſsimè tradit 1. lib. de Sanitate tuenda. Mediocre verò corpus, q; Symmetrõ dicitur, extremorum omnium medium ad vnguem redditum eſt, quod communiter in vniuerſa natura æſtimatur. Cuius Galenus meminit in principio primi lib. de Temperament. his verbis. [At, cùm temperatũ aliud abſolutè dictum inueniatur in vniuerſa rerum natura, aliud in ſingulis generibus, principio viſum eſt, de eo conſiderandum eſſe, quod communiter in vniuerſa natura æſtimatur, huius norma iudiciumq́; erat, elementorum portionis æqualitas, cuius rei gratia extremorum omnium medium ad vnguem redditum, eucraton, & ſymmetron, ſiue temperatum & mediocre maius, dicitur. Hactenus ille.] Ex quibus, lucidè conſtat corporis

poris

poris mediocris significatio, cuius temperaturam si mulieres adeptæ fuerint à multis vitæ incommodis liberari poterunt, quibus etiam, si non à manifesta occasione secundo, aut tertio mense abortierint acetabula vteri muco pituitoso plena sunt, vt Hipp. inquit. Quod ad fœtus gestationem attinet, illud annotādum est, fœtus cùm vtero gestantur, mores magna expertæ circa quadragesimum diē moueri, feminas verò, circiter nonagesimum, quibus temporibus aut secundóue tertio mense vtero gerentes abortire solent: abortus tamen qui inter septimum diem non abortus, sed effluxiones vocantur: abortus tamen intra quadragesimū fieri docet Arist. lib. 6. de Historia animaliū cap. 5. Idq; in caussa esse credimus, quod licet toto gestationis tempore, propter fœtus conceptionem, mulieres malè habeant ob innumeras corporis noxas, ijs tamen prioribus mensibus quòd peius habent, tum propter fœtus imbecillitatem, qui alimentum consumere nō potest menstruum videlicet sanguinem, qui varia recrementa in vtero gerentiū ventriculis redundare facit, morbosq; varios excitare solet. Labores etiam grauidis accidunt, non solùm secundo, & tertio, verùm, quinto, septimo, nono, quarto, sexto, & octauo, vt Hipp. inquit 6. Epide. part. 8. Aph. 12. Quot mensibus tamen mulier vtero gerit controuersia est inter Arist. & Galenum, quod hic 3. lib. de Facult. natural. fœtus nono mense perfici in vtero, quod & Lib. 2. de Sympt. caußis repetit his verbis. Sanè eadem virtus, quæ sic de fœtu est sollicita, vt nouem mensium spatio eius sustineat pondus, ac vt absolutos tutò emittatur, ille verò dicat 7. lib. de Historia animal. cap. 4. septi-

mo mense, & octauo, & nono mulierem parere posse, & quod plurimum decimo, non nullas etiam vndecimum tangere. Quorum controuersiam facilé derimes, si dicas fœtus eo celeriores esse, aut tardiores, quò fortiores aut imbecilliores sunt, accedit parentum robur, aut imbecillitas: quò fit, vt fœtibus alimentum deficiat, diuq; in vtero detineantur, & non nisi nono, decimo, aut vndecimo in lucem exeant: reliqui verò quibus alimentum satis est, minimeq; deest, fortioresq; sunt citiùs emittuntur. Septimo videlicet, aut octauo, octauo verò mense fœtũ natum nunquam vixisse Hipp. auctor est libro de Carnibus. Cur illud tamen accidat, Alexandro Aphrodiensis in Problemat. rationem reddit, quam legere poterunt illi, qui in indagandis huiuscemodi rebus curiosi sunt, mihi verò hoc loco eam scribendi rationẽ seruandam cupio, quã in alijs scriptis meis semper habere conatus sum, vt videlicet, si quando mea eruditione non possum, breuitate saltem lectoribus placerem.

Commentariolus in libellũ Galeni de paruæ Pilæ exercitio, ad Thomam de Vega Conimbricensis studij archiatrum. CAP. XXVI.


VELLEM priùs quàm ad te scriberem aliqua voluntatis meæ significatione, tibi ostendere amorem, quẽ erga te habeo, qualis in te meus esset animus. Verùm cùm perpenderẽ singularem & raram bonitatem tuam,

quæ

quæ nullo alio fortiori amoris vinculo abstringi debet ad amicitiam comparandam, quàm admirabili quadam, quam habes erga bonos, propensione, iam minùs erubesco, quòd ad te litteras dederim, ita nulla tuæ auctoritatis, dignitatisq; habita ratione, hoc est nullo integerrimi amoris mei testimonio: quod, sicut nullum esse potest certiùs, quàm animus ipse, qui te vnicè diligit, ita amoris & obseruantiæ erga te meæ, quàm ipsius satisfactionem, quæ licet vulgo vix probari solet: tu tamen mi Vega à me illam libenter accipies. Cùm rectè noueris quantùm discriminis sit inter illam beneuolentiam, quæ nullum excelsiorem amoris gradũ habet, quàm ipsum animum, qui nullum amandi vnquam nouit modum, & vulgarem quandam, & planè falsam hominum libidinem, quæ nulla alia re ducitur, quàm vtili quadam operum pollicitatione: à quibus quantùm ipse abhorreo, apertè testãtur mea de ijs, quos ex animo diligo, præconia, quæ non ob aliud quidem cupio esse omnib. admirationi, quàm q̃ in amicorũ laudibus celebrandis, tãta afficior alacritate, vt quamuis aliqua ex parte officio, opera, et amore id facio, quod possum, adhuc fateor me nonnihil illis debere qui tantopere suo ipsorum caussa fuerim ita delectatus. Quare itaq;, si plurimùm ita te diligo, vt vbi vbi gentium sum, mirificam apud omnes non solùm nostræ artis professores, verùm etiã alterius ordinis viros, facio mentionem: plùs etiam diligere debeo, quòd dum te laudo, totus miris modis gaudeo, quod & tu scire potes ex fratribus tuis, quos cùm alloquor, de teq; incidit sermo, vix credas quanta lætitia afficiar, te tuáq; omnia laudando: idq; etiam intelliges ex meo iudicio in tuos com-

commentarios, quos in artem medicinalem Galeni peritißimos, & elegantißimos composuisti, quos mihi ostēderat Typographus, cui eos nepos tuus imprimēdos tradiderat, & mea de illis sententia fuit, illos videlicet dignißimos esse, propter admirandam doctrinam quam in se continebant, vt in vulgus ederentur, quibus non parùm vtilitatis studiosis medicinæ omnibus emanaturum esse: addidi etiam me quidem eorum lectione non profecisse parùm. Quod vt tibi significarem, meumq; animum apud te non ingratum, quòd tuis scriptis profecerim, ostenderem, meum quendam commentariolum in libellum Galeni de paruæ pilæ exercitio loco munusculi ad te mittendum curaui, quem iam inserueram alijs commentarijs meis de Varia rei medicæ lectione. Quamuis tamen semper vndiq; sit tibi mensa lauta, & opipara, vt dubites quid edas, gustabis aliquando, more nobilium quorūdam hoc agrestè edulium, vt cùm illud fastidieris, statim vescaris alio suauiori, & delicatiori. Vale cum tuis omnibus.

Quàm quidem ad bonam valetudinē conferant exercitia ô Epigenes, quanquam ipsa opus sit cibaria antecedere, ab antiquis præstantißimis, tum philosophis, tum medicis sufficienter traditum est.] Quantùm vtilitatis corpori humano exercitationes afferant, vt scilicet in virum perfectum vnusquisq; euadat, vt etiam caueat morbos, quos otium, quies, cruditatibus interuenientibus efficere solent, elegantißimè & eruditißimè Galenus in hoc libello tradit. Exercitationes tamen iure cibos antecedere debent: nam sicut ad bonam valetudinem exercitium ante cibū multùm prodest, ita post cibum maximum affert nocumē-

tum. Alimentum enim ex ventre ante concoctionem, in diuersas corporis partes distribuitur, proptereaq; crudi humoris copia per venas aggregatur; quae multiplices morbos adfert, nisi aut multis laboribus humor dissoluatur, aut iocinoris, venarũq; facultate coctus, versusq; in sanguinem fuerit. Sunt praeterea commoda, alia ad vitam non inutilia, quae Galenus, quem sui ipsius in omnibus semper quae possumus interpretem volumus, in principio secundi libri de Sanit. tuend. in hunc modum tradit. [Atq; exercitationis commoda, & si in priori volumine tradita sunt, non inutile tamen sit hic quoq; paucis ea denuò repetere: quando ea non solùm scopus, sed veluti indices sunt omnium quae sigillatim, in exercitationis arte geruntur. Fuere autem, arbitror, genere duplicia: haec quidem ad excrementorum inanitionẽ, illa ad euexiã, id est, solidarum partium habitudinem efficatia. Nam quoniam vehementior motus exercitatio est, necesse quidem est tria haec ab ea perfici in corpore exercitando, membrorum duritiem ex mutuo ipsorum attritu, genuini caloris augmentum, & spiritus citatioris motum. Sequi verò haec reliqua omnia priuatim commoda, quae corpus exercitijs accepta refert. Vtiq; ex membrorum duritia, tum vt minus ex labore afficiantur, tũ ad laboris robur. Ex calore, tum deducendorum in corpus validum attractum, tum immutationem magis expeditam, tum nutritionem magis felicem, tum vt singulae corporis partes sint, vt ita dicã, perfusae. Cuius affectus beneficio & solida mollescere, & humida tenuari, & exiguos corporeae molis meatus laxiores fieri accidit. At ex spiritus valentiori impetu & pur-

gari hos omnes meatus necesse est, & excrementa expelli. Omnis, ut idem etiam Galenus ait libro tertio de Sanitate tuend. in principio, exercitationis probè factæ postrema pars apotherapia dicitur. Ea duplici cōsilio suscipitur, ut excremēta expurget, & ut corpus à laßitudine tutum reddat, prior caussa etiam exercitationi communis est: quando etiā quoq; duplex omnino propositum est, & ut solidas animalis partes firmet, & excrementa expurget.] Quæ omnia quàm palàm nobis ostendant exercitationum utilitatem, nullus est planè, qui non videat, nisi fuerit Asclepiades, qui nihil horum cogitās per magnum ocium captiunculas texit, quibus docere conetur, nihil ad bonam valetudinem exercitia conferre. Cuius rei insaniam Gal. lib. I. de Sanitate tuēd. in medio reprehendit. Quàm verò illa, quæ ex parua pila habetur exercitatio, alias omnes excellat, hoc nondum satis priorum quispiam explicuit.] Cùm superiori loco Galenus docuisset exercitationum usum plurimùm quidem conferre ad sanitatē, easq; cibos antecedere debere: reliquū erat, de exercitatione, quæ ex parua pila fit, de qua sermo est, ageret: quæ quantùm alias omnes exercitationes antecellat, nullus veterum satis explicuit, ob idq; Galenus de re hac commentariolū ad Epigenem scribendum curauit, quem suæ tractationis arbitrum statuere voluit, veluti huius artis omniū peritißimum, cui quæ de illa traduntur non solùm commoda videbuntur, verùm & alijs etiam, quibus ille illa communicauerit. Quis tamen Epigenes hic fuerit quærere, otiosum esse puto, id tamen curiosis sufficiat, hunc Galeni familiarem fuisse, non illum cuius meminit Plutarchus in li-

bro de Historia philosophica falsò Galeno attributo, qui dicebat stellas crinitas esse vaporem terræ commistum & in altum leuatum, quòd is tempore antiquior fuerit, est fortaßis ille cuius Suidas meminit, qui dixit Epigenem monem esse proprium cuiusdam auctoris, qui non nulla præclara scripsit. Ea namq;, vt arbitror, conducentißima est exercitatio, quæ nō modò corpus fatigare, verum etiā animam oblectare posſit.] Hoc loco Galenus vt ostenderet exercitationem, quæ ex paruæ pilæ ludo fit, vtiliorem esse arte venandi: illud exercitationis facilitate probare nititur, quāuis enim venatio, fatigationes, ac labores, animæ voluptate, & oblectamento, & cupiditate laudis temperare solet, quia hoc venandi munus non nisi magno apparatu, varijsq; ad ipsam venationē instrumentis exerceri potest, non nisi etiam liberum hominem, & ab omnibus prorsùs negotijs alienum venatio ipsa exposcit: paruæ tamen pilæ exercitatio ita omnibus est facilis, vt liberum sit vnicuiq; hominum quantumuis infimorum, & quibusuis negotijs addictorum, si tantillum ocij habeat, in paruæ pilæ ludo interdum exerceri. Nec tamen ad huiusmodi exercitationem multis diuitijs opus est, sicut venantibus, qui equis, venatorijs canibus, retibus, armis cùm indigeant: Dij boni quantùm pecuniarum consumunt, quæ si essent in vsus meliores eroganda, meliùs profectò illis consultum esse existimarem. Multi sola lætitia morbos euaserint, multi etiam præ mœrore ægrotauerint.] Laudat eas exercitationes, quæ non solum corporis membris vtiles sunt, verùm, quæ etiā animæ oblectamento esse solent, idq; ex eo probat, quòd videlicet multi sola læ-

titia

titia morbos cauerint, non pauci etiã tristitia in morbos lapsi fuerint, quorum apud Historicos multa sunt exempla. Verùm, quomodo id contingat, licet à nobis alibi satis sit explicatum, hoc tamen loco obiter, ac veluti per transennam attingam. Sunt, itaq;, affectus animi, timor subitus & vehemens, quem ἔκπληξιν Græci vocant, præterea contraria huic est voluptas maxima Græci περιχάρειαν vocant, quasi excessum gaudij dixeris, & amborum occasione perijsse quosdam Galenus ait, vt ipsum per seipsum exponamus libro XII. de Morbis curandis cap. 5. Principio quidẽ adest facilitas.] Probat oratione extensiori, vtilitatẽ exercitij paruæ pilæ maiorem esse quàm quæ comparatur ex ipsa venatione, quod quia superiùs ostendimus hic iterum repetere superfluũ duximus. Eam verò aliarum omnium quàm integerrimam esse, hinc potißimùm cognoueris.] Confert hoc loco exercitationem paruæ pilæ cum alijs, dicitq; illam omnium aliarum integerrimam esse, quoniam aliarum singulæ vehementes sunt, vel mites, vel inferiora corporis membra magis, vel superiora, vel præter ceteras partem aliquam, vt caput, manus, thoracẽ, hypochondria mouent, quorũ omnium exercitationũ differentias Gal. longiori oratione repetit 2. libro de Sanitate tuenda parùm ante finẽ. Paruæ tamen pilæ exercitatio omnes nostri corporis partes æqualiter mouet, potestq; etiam in summam vehementiam tolli, & in minimã motionem deprimi, quæ quidem concitatißima vicißim, & tardißima, & ad libitum, vtiq; corpus tolerare visum fuerit vehementißima, remißißima fieri consueuit. Sic verò & simul omnes corporis partes, cùm hoc præstare visum

 sit,

sit, & quasdam præter ceteras, cùm hoc itidẽ videatur, mouere licet: cùm enim inuicem congredientes, seq́;, ne cõstitutus in medio pilam excipiat, mutuò vetantes laborauerint, maximum id, vehementißimũq; est, multis vtpote colli obuersionibus, multisq; palæstriticis occursibus commistum: adeò vt & caput, & ceruix, colli obuersionibus, latera verò thorax & venter, faciei elationibus, ac depreßionibus, expulsionibusq; ac obnixibus, alijsq; palæstriticis ritibus fatigentur. Quæ omnia, quòd à Galeno ingeniosißimè tradita sunt, non piguit paucis verbis mutatis sine vlla expositione adducere, vt magis delectando quàm exponendo lectoris animum reficerem. Ea tamen licet de ludo paruæ pilæ à Gal. sunt dicta, etiam ad magnã pilam, quem follem appellant, referenda existimamus: duplex enim est pilæ ludus, alter qui folle fit, hoc est magna pila, alter verò paruæ pilæ est, quarum ambarum, exercitationes ijs, qui partes superiores exerceri opus habent, vtiles esse Galenus ait in fine libri sexti de Sanitate tuẽd. Quod omnes particulas summa cum iustitia moueat.] Præter multa cõmoda, quæ ex exercitio pilæ comparantur, illud etiam adiungendũ est, quòd videlicet omnes membrorum particulas cum æqualitate moueat, quod per illam orationem intelligit. Eorum particulas summa cum iustitia moueat. In cursu enim, in deambulatione, in quauis deniq; corporis motione, corporis nostri partes exercentur, non tamen æqualiter, vt fit in ludo paruæ pilæ, in quo æquè ac cum iustitia exerceri solent. Verùm cùm hic de iustitia sermo est, nec grauabor illius expositionẽ adiungere. Est itaq; hoc loco iustitia nihil aliud quàm figu-

figuratio vniuscuiusque membri. Iustitiæ enim proprium est, nõ quod proprium ex lege est vnicuiq;, sed ex natura ipsius attribuitur, vt Galen. in comment. lib. 2. Hipp. de fracturis in hunc modum ait. [Iustitiæ naturalis esse vt proprium vnicuiq; non ex lege, sed ex natura ipsius attribuatur, & in philosophia demonstratum est, & superiùs etiam iam dictum est: dictum item præterea fuit iustam esse figurationem eam, quæ singularum membri partiũ proprium situm seruaret. Ex quo loco intelliges discrimẽ æqualis et iusti, quòd, sicut alia multa, nempe alterum pro altero medicorum vulgus sumit: dicitur enim iustum de multis rebus, aut de duabus ad minimum, æquũ autem aut æquale vnius rei existit, vt idem Galenus annotauit in comment. 3. eiusdem Hipp. libri de Fracturis. Reliqua verò quæ sequuntur illi innotescẽt, qui illa cõtulerit cũ vsu paruæ pilæ, dũmodò ludẽdi peritiã ac dexteritatẽ habeat, sciatq; emittere pilã, transmissamq; recipere: solicitus etiã sit, ne pila lõgiùs abeat, q̃ ille suscipere poßit, ea omnia deniq; faciat elegãter & pulcrè, vt ab omnibus laude dignus videatur: quò fiet, vt si huiusmodi ludo corpus exercuerit, vt bonã corporis valetudinẽ cõciliet sibi, et magnã gloriã adipiscatur. Optimi Imperatoris est] Nec ab re hoc loco ludũ paruæ pilæ officio Imperatoris, reiq; militaris periti cõparat, sicut enim ad gubernandã Rẽp. imperatoria arte opus est, ita ad sanitatem tuendã arte exercitatoria indigemus, quod ab eodem Galeno scriptum est in libro ad Thrasybulum, An ars tuẽdæ sanitatis ad medicinalem artem spectet. Quo loco Imperatoris officium cum arte exercitatoria comparat, quod hic etiam facit, vbi postquàm

docuit ludi paruæ pilæ modum, ac peritiam ostendit, quo modo se gerere debeat in debellandis hostibus Imperator, quo modo oporteat eum aliquando hostem inuadere, inuadendo latere, nauiterq; prouinciam suscipere, aduersariorum res vel vi, vel ex temperario aggressu sibi suas facere, ac parta tueri ac exercitus imperator & custos esse, & fur egregius, quæ omnia à Platone, Arist. Aeliano, & Vegetio tradita sunt.

Ego enim quod immodicum est vbiq; damno.] Non solùm in exercitijs, verùm in omnibus, quæ ad sanitatis tutelam conferunt, mediocritatem, & mensuram seruandam esse docent medicorum decreta. πᾶν γὰρ τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, quod à magni Hipp. oraculis dissumptum est lib. 2. Aph. sententia. 51. Quòd si quid mēsura caruerit, pulcrum illud haudquaquā fatebor] Non repentè, nec immodicè artem omnem esse tractandam sentit, immò quicquid mensura caruerit, illud nec egregium nec pulcrum esse fatetur: mediocritatem etiam semper esse seruandam in omnibus artibus nullus est, dummodò imperitus non fuerit, qui ignoret: mensuram item in rebus optimam esse Galenus docet in libello de Cognoscendis curādisq; animi morbis, his verbis. [Probè enim dictum esse videtur, mensuram esse optimam, tanquam nihil bene egregiéue fieri possit sine mēsura.] Cursus igitur minimè laudarim.] Nec immeritò quidem currendi vsum inutilem ac vitiosum esse ait, quòd videlicet corporis nostri habitum cursus extenuent, ac exhalare faciant, quod Galenus tradit 6. libro de Sanitate tuend. parùm ante medium, his verbis. [Corporis autem exhalatio inaugebitur celeri exercitatione, cuius generis cursus est.] Corpori

tamen, quod adhuc exaugeſcit, & gracilia habenti crura, curſu vti potiùs, quàm alia quauis exercitatione opus eſt, dummodò tamen vltra quàm conueniat nō exercitetur, quod etiam Galenus docet 5. de Sanitate tuenda. Hominemq; ad fortitudinē nullatenus aſſuefaciat] Vocat hoc loco fortitudinē, virtutem & animi robur, ac in factis præclaris perſeuerantiam, vel, vt Cicero 4. lib. Tuſculan. auctor eſt, [Fortitudo eſt ſcientia perferendarum rerū, vel affectio animi in patiendo & perferendo, ſummæ legi parens ſine timore.] Qua animo obdurare ſolent ſtrenui, ac audaces viri in debellandis hoſtibus, ſicut Lacedemonij fuerunt, qui non currendo ſolùm, ſed perſeuerando ac perſiſtendo hoſtes trucidauerunt, vt ſæpenumerò videre eſt apud Thucydidem, & Pauſaniam. Curſus tamen, quando corporis partes æqualiter non exercet, prorſùs ſalubris non eſt cenſendus: quòd in illo alia quidem fatigentur, alia torpeſcant, quorum vtrumq; incommodum eſt, quod alterum morbos (ocium enim Galeno teſte morbos parit) gignat, alterum verò vires proſternat. Exercitium igitur id potiſsimùm commendauerim, quod bonam corporis valetudinem, ac partium concinnitatem, vnaq; animi virtutem præſtare poſsit] Repetitio eſt, ac concluſio ſupradictorum, poſteaquàm docuit paruæ pilæ exercitium valde vtile eſſe ad ſanitatem conſeruandam, ad virtutis robur, ac gloriam comparandam: quomodo etiam omnes corporis partes æquè exercitare poſsit, & craſsitiē nullam incommodam, ac gracilitatem afferat, quin actionibus robore aut celeritate opus habentibus accommoda & ſufficiens ſit, ad vehementiam tamen nullo eſt

inferius. Ad mollitiem deinde sermonem vertit, qua aliquando nos indigere dicit, propter videlicet pueritiam, & senectutem, quarum vtraq; ætas magnos labores ferre non potest, aut quòd laßitudini consulamus, aut quòd ab ægritudine conualescamus. Repetit præterea mediocritatem in omnibus seruandam esse, nec ab illa esse diuertendum, sed nunc sensim procedendum, nunc verò loco standum, ac deniq; membra nõ multum agitanda. Posteà frictionibus mollibus ex oleo & calidis balneis esse vtendum, quod quidem remißißimum est, ac quiete opus habentibus vtilißimũ, & ad vires imbecillas restaurandum valentißimum.

Quæ verò hoc quidem laboriosiùs, & cetera.] Quoniam superiùs dixerat magnam esse vtilitatem paruæ pilæ exercitationis, & omnium ferè aliorum exercitiorum genera longo interuallo antecellere, hoc loco admonet eum, cui paruæ pilæ vsus futurus est vtilis, vt omnia agnoscat, quæ in eius exercitatione fieri solent: reliqua verò faciliora sunt, quàm quis explicare debeat. Quousq; autem pro singulo quoq; vsu intendenda, aut remittenda sit exercitatio scribere quidem impoßibile.] Quamuis hæc Galeni oratio vera sit, quòd impoßibile sit scribere, quousq; intendi & remitti poßit pro singulo quoq; vsu exercitatio. Nec enim vniuscuiusq; quantitas explicari potest, tamen nonnihil difficultatis habet, quàm sententiæ huic Galenus videtur contradicere, qui libro 5. de Sanit. tuẽd. ita inquit. [Finge corpus aliquod ex his, quæ adhuc augescunt, gracilibus esse cruribus, huic picari crura conducit, & modicè fricari, & cursu vti potiùs quàm alia quauis exercitatione. Porrò præfici ei quempiam

opor-

oportet, qui modum in motu præscribat: quo nec intrà quàm expedit exercitetur: nec adeò vltrà, vt laßitudinem sentiat. Id tametsi nõ in exercitationibus modo, verùm etiã in alijs omnibus intellectu difficile sit: nos certè facile esse ostendimus, in his saltem quæ ad salubrem victus rationem spectant. Nec enim in his præceps occasio est, sicuti in morbis: immo vbi à tutißima in singulis mensura inceperis, & simul quod ex ea secutũ est, æstimaueris, licet vel addas aliquid quotidie vel detrahas ac quod omissum est, corrigas.] Hactenus ille cuius loci conciliationem illis relinquo, quorum studia indefessa sunt in Galeni scriptis. Nec enim prodest qualitas, vbi quantitate labefactetur.] Locus hic subobscurus est, tamen facilis videbitur, si ita exponatur, scilicet, quamuis quantitas exercitationis vniuscuiusq; explicari non poßit, tamen in opere ipso inueniri & explicari potest, quod nec satis esse videtur, quòd qualitas exercitij, hoc est, quod exercitationi conuenit: nihil prodest, vbi quantitate labefactetur, id est, vbi quantitas exercitationis maior aut minor esse debet. Licet enim intelligamus quale conueniat exercitium, quantũ deceat minimè assequi possumus. Sicut enim quamuis qualitatem inter durum & molle medium puerorum frictionibus aptam eligas, si tamen etiam non aptam quantitatem pinguedinis ad præmolliendum acceperis, frustrà profectò puerum curabis: ita sanè, licet quale deceat exercitium noueris, quousq; tamen exercitari expediat, ignoraueris, qualitas quantitate labefactabitur, & huius rei pædotribam curam habere oportet, cuius munus est, vt exercitationi præsit, omnium enim exercitationum, quæ

quæ in palæstra fiebant, peritiam vsumq; pœdotriba callebat, ipse sanè sic à gymnaste diuersus, vt à medico coquus, auctore Gal. 2. lib. de Sanitat. tuend. Est autem pœdotriba ludi litterarij præceptor, puerorumq; institutor ἀπὸ τοῆς παιδείας καὶ ἀρετῆς, cū tamē, qui puero præsit probum & prudentem esse oportet, verùm talem inuenire difficile est. Nec vllo pacto circa pericula sit.] Tradito vsu & vtilitate exercitij paruæ pilæ, hoc loco, vt nihil relinqueret ad illam commendandam, inquit esse citra periculum vllum si conferatur cum alijs exercitationibus, quæ multis periculis obnoxiæ sunt, vt sunt omnia quæ in palæstra fiunt: equitatus etiam, qui quantùm renibus officiant, & meatibus seminarijs, multorū periculis notum est: accidunt etiam inopinæ mortes illorū, qui ex equis currendo lapsi sunt, omnia deniq; alia detrimenta, quæ ijs accidere solēt, qui in palæstra versantur. Quàm quæ apud Homerum, læsi sint.] Enumeratis incommodis & periculis quæ ex violentis equitatibus euenire solent, eleganti quidē cōparatione concludit hoc loco, citans videlicet Homerum, qui inquit (quo tamen loco videre non potui, quòd cùm hæc scribebam exempla illius non haberem) eorum preces, qui apud illum læsi fuerunt, claudas, rigosas, ac oculos distortas esse: sic etiam eos qui in palæstra versantur, claudos, distortos, fractos, ac mutilos esse.

FINIS.

INDEX EORVM, QVAE NOTATV DIGNISSIMA IN HISCE COMMENTARIIS OCCVRRERVNT.

A primam, B verò secundam paginam indicat.

A.

Ali-

Cor-

F.

G.

I.

Ioco

L.

Me-

N.

O.



[illegible]

Pleu-

Rosæ

Thucy-

Vita

FINIS.

Errata sic corrigito, a primam, b verò secundam faciem indicat.

Pagin.7.a.lin.2.deest, de: pag.15.b.lin.8.lege Tetrabibli.24.a.lin.5.lege dexter.34.a.lin.18.lege calidum.38.b.lin.20.lege alto.79.b.lin.7.lege mares magna ex parte.

21

